MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,

Prof. Medici & p. t. Acad. Giſſenæ Rectoris,

POLYCHRESTA EXOTICA

IN

CURANDIS AFFECTIBUS CONTUMACISSIMIS PROBATISSIMA,

Scil.

FABÆ S. IGNATII
IPECACUANHA
PEDRA Del PORCO
CHINA CHINÆ,
CLYSTER TABACINUS,
PANACEA GALLORUMQ;

UT ET

NOVA HERNIARUM CURA.

Accedunt

SEORSIM OLIM EDITÆ, NUNC AUTEM, AD deſiderium plurimorum, conjunctim denuò prodeuntes

DISSERTATIONES EPISTOLICÆ VARII ARGUMENTI.

Cum Fig. Æneis.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus JOHANNIS DAVIDIS ZUNNERI, Bibliopolæ
M D CC.

NULLIUS IN VERBA.

ILLUSTRISSIMÆ

SOCIETATI REGIÆ LONDINENSI,

UT ET

COLLEGIO MEDICO

Ejuſdem Emporii

Sal. & Obſervantiam?

SI quid unquam fuit, unde multifaria Practicorum indoles manifeſto magis eluceſcit, illud *Materiæ* (ut audit) *Medicæ* eſt conſpectus, in quô adornandô tot ſenſus ſunt, quot capita.

Fuerunt enim, qui in diffuſiori remediorum apparatu eorumque ſuperfluitate ſubſidium quærendo, *armamentaria*, *promptuaria*, *ſyſtemata & theſauros* inde conſcripſerunt & quicquid in aliis ad ſcopum hunc collimare obſervabant, in faſciculum quaſi collegerunt, quò ſi unum fortè ſpem eludat, alterum ſuppetias miniſtrare valeat. Alii non copiam, ſed ſelectum hîc juvare credunt, cùm in mediâ remediorum abundantiâ ſæpe maxima illorum ſit annona; hinc contrariâ viâ incedentes *Materiam Medicam contractam*, aut in conciſiorem *ſyllogen* redactam *moderno ſeculo applicandam* dederunt, quum pauca (ut Helmontius judicat) Medicum nobilitent. Pars Medicinâ Domeſticâ eſt contenta, horrens atque nauſeans Exotica, tanquam fraudibus Drogiſtarum vermiumque roſioni ſubjecta majorique pretio veneuntia. Alii cum Thraſonibus nonniſi tranſmarina atque peregrè allata crepant, ut neſcio quæ ſecreta minuſque trivialia poſſidere credantur eaque, ſi reapſe poſſident, datâ operâ celare ſolent. Aſt ut poſtremi ſuam eô ipsô arrogantiam aut invidiam manifeſtò produnt: ita nec priores ab omni prorſus culpâ ſunt immunes, dum glebæ ſuæ domique natis unicè adhærendo non tam ſelectum, quam defectum, miſeramque materiæ medicæ mutilationem cauſantur. Sincerus hâc in parte eſt *Dn. Ludovici*, τῶν ἐν ἁγίοις, qui eô ipsô, quô de ſelectu remediorum quam maximè ſollicitus eſt, in locô, illos, qui in univerſum omnibus

„exoti-

„exoticis domeſtica ſua ſubſtituere conati ſunt, ingenii „potius acumen aut conjecturas, quàm ſeriam experien-„tiam practicam oſtendiſſe, palam & cordatè judicat, *Diſput. I. de Pharmaciâ Moderno Seculo applicanda, pag. 34. edit. prioris.* Equidem Summus ille DEUS, quùm de terrâ crearet medicinam, non omnia omnibus regionibus ſimplicia implantavit, ſed pro imperſcrutabili ſapientiâ bonitatem ſuam numero, pondere & menſura per totum terrarum orbem ita diſpenſavit, ut mutuis commerciis univerſum hominum genus in unum & ab eodem capite dependens corpus qs. coaleſceret. Quemadmodum igitur non quævis fert omnia tellus, ita quæ aliis regionibus indulſerat Creatoris optimi providentia, neutiquam inſuper habenda ſunt, cumprimis, ſi ob Climatis, in quô ſuccreſcunt, bonitatem majoribus, quàm inquilina, viribus gaudeant; & licet ſuccedanea fortè dentur, iisdem aut majoribus quandoque viribus inſtructa, rarò tamen æquè tuta ſunt aut omnium palato & naturæ congrua. Ita notum eſt ſantonicum, quoad virtutem anthelminticam, ſi non ſuperare, æquare tamen ☿ juratum inſectorum hoſtem, qui tamen ob periculoſa, quę in puſillis quandoq; relinquit, ſymptomata vix æquè tutus eſt: Reliqua autem, quæ è regno vegetabili ſemini contra vermes ſurrogantur, vires hujus adeò non exæquant, ut ab omnibus, licet Exoticorum oſoribus, efficaciæ intuitu, in Europa nunc civitate ſit donatum. Idem de purgantibus nonnullis, aro-

matibus & aliis receptis hactenus exoticis dicendum; quibus an & noſtra, quæ modò damus, accenſenda ſint, illi judicent, qui efficaciam eorum reverâ polychreſtam, ex frequenti uſu ſibi cognitam & perſpectã reddiderunt, quæ ſi non major, tutior tamen, citior & jucundior eſt, quàm in domeſticis illis vulgò ſubſtitutis. Sic in abſinthiacis aliisq; amaris vegetabilibus egregiam vim ſtomachicam latere non negamus, an verò æquè accepta ſint, ac fabæ S. Ignatii, meritò dubitamus. Neque vomitoria antimonialia in ſiſtendâ Dyſenteria inſuper ſunt habenda, quæ tamẽ æquè tuta non ſunt, ac radix ipecacuanha. Plura quoque remedia febrifuga hactenus innotuêre, ſed non æquè citò febres contumaciſſimas jugulantia ac Lapis Porcinus aut Cortex Peruvianus, qui vix unâ vel alterâ vice ſumtus febrem certò certius enervat, ut vel eam ob cauſam crumenimulgæ Pharmacopolæ Medicique Invidi eundem potius ſupprimi, quàm celebrari mallent. Quærebam olim è Practico ſatisfamoſo (*bon gaignedenier*, ut Scaligero Fernelius audiebat) quid de cortice hoc judicaret? ô (ſed in aurem) reponebat, ſi hoc careremus Medici, nihil eſſemus: Cùm verò paulò poſt ejusdem uſum Diſputatione Publicâ ventilarem, veramque hujus rei methodum detegerem, invidiâ plenus ubique divinum id remedii genus elevabat, *Chiniſtas* appellans, qui eô in Praxi utebantur, non alium in finem, quam ut alios à remediô, non ſine fœnore in arcanis à ſe habito, ab-

chari-

ſtraheret. Alia verò mens hæret Medicis verè Chriſtianis, qui utprimùm in conſimilis generoſi & probati pharmaci notitiam deveniunt, omnibus id Medicis & ægris, innoteſcere, quàm in arcanis ſervare mallent, certum ȣ̓ανόθεν redhoſtimentum expectantes. Eô enim, quô Optimus & Benigniſſimus Creator ſua nobis dona eſt largitus, fine, in proximum illa derivare decet. Hoc charitatis opus; nec aliâ intentione nova hæc remediorum genera in publicum jam prodeunt, quæ non ut Exotica commendamus, ſed ut Polychreſta, ſua inſimul domeſticis encomia relinquentes : Commendamus ſimul ut remedia probatiſſima, non tantùm ad ægri lectum, ſed & in Cathedrâ, quam publicè experta ſunt, Academica, Reſpondentibus ſub præſidio meo Viris Nobiliſſimis:

DN. ANTHONIO RAUMBURGERO *Med. D.*
DN. PETRO VVOLFARTO *Med. D.*
DN. CHRISTOPH. FRIDER. KNEUSSEL. *Med. Lic.*
DN. HERMANNO VOGELIO *Med. Candid.*

Quòd verò ſchedas has Utrique Collegio Veſtro dicatas velim, DOMINI MEI ET PATRONI MAGNI, ratio eſt, partim, quòd veſtrum præ aliis judicium edecumatum ſubire geſtiant, partim, quòd ſingularem, quàm ante tria, vel quòd excurrit, luſtra, tum in Conventibus veſtris, tum ædibus privatis mihi conteſtati eſtis,

ti eſtis, Benevolentiam documentô quodam publicô exoſculari voluerim; quâ ſi tenuitatem meam porrò dignari non detrectaveritis, erit, de quô mihi gratulabor admodum, qui æternùm per ſevero

Nom. Nom. V. V. Illuſtr.

Dab. Giſſæ Haſſorum, die 26. Aug.
quô ædes pro *Theatro Anatomico* B. C. D. eriguntur.

Servus atque Cultor

MICHAEL BERNHARDUS
VALENTINI.

POLYCHRESTORUM EXOTICORUM

DISSERTATIO I.

DE

FABIS S. IGNATII.

PRÆFATIO.

NOn *quod pueri in fabâ me inveniſſe putabam, quùm in Programmate quodam, ab Incluto Lipſienſium Machaone,* D. D. Bohnio, *anno* 1698. *die* 7. *Julii publicatô, & ab Eodem ſuperiori annô mihi benevolè tranſmiſſo, novi cujusdam medicamenti antepileptici*, Fabarum *ſc.* S. Ignatii, *mentionem fieri obſervarem. Inter alia enim, quæ de ſingularibus & ſpecificis ſolidiſſimè ut ſolet, diſſerit, de Fabis illis ſeqq. refert: Quibus hodie „addere licet* Fabam *illam* S. Ignatii *dictam, à Portugallis primùm ex „Indiâ Orientali in Europam, nunc in Belgium translatam, ac contra „venena, epilepſiam, dyſtociam &c. mirè commendatam, Noſtratibus*

„adhuc

„adhuc minus perſpectam, cujus unum alterumve exemplare nuperrimè videre contigit. Summô ſtatim hujus deſideriô accenſus, Scriptores rerum Indicarum, quotquot ad manus erant, evolvebam, ſperans ita fore, ut quadam illîc veſtigia hujus rei reperirem: ſed fruſtrà, cùm ne verbô quidem ejus mentionem fecerint. Vivos ergò magis, quàm mutos, conſulendos eſſe ratus, ad diverſos eoſque curioſiſſimos non minus, quàm feliciſſimos, Medicos Practicos illud tranſſcribo, qui tamen vix aliud, quam idem mecum deſiderium explicare poterant. Tandem per Amicos in Belgium abeuntes, Botanicos hujus ſeculi Celeberrimos, Dn. Hottonem, *Prof. Lugdunenſem &* Dn. Commelinum, *Botanicum Amſtelodamenſem, eô, quô decet, affectu requiſivi, ut, ſi quid de charactere & vegetatione medicamenti hujus habeant, mecum benevolè dividerent; verum & illi certi quid ſive ſtatuere, ſive referre, neſciebant, ſuam tamen inquirendo operam mihi promittentes. Intereà ipſum medicamentum aliquoties à Trochiſtis Amſtelodamenſibus, curante primum* Dn. Scipione, *Pharmacopolâ hujus loci, & abhinc* Dn. D. Spenero, *(qui easdem* in Epiſtolâ *eruditiſſima,* de Muribus Marinis, *in Fig. æneâ ob oculos poſuit) obtinui, in qualitates ejus inquiſiui & quæ partim ex relatione Trochiſtarum & Luſitanorum, ex India redeuntium, partim aliunde comperi, rationis & experientiæ bilance trutinavi & reverâ ſingulare quid in Fabis his, ad curandos quamplurimos C. N. morbos, à Natura reconditum eſſe, obſervavi. Cùm verò piaculo mihi ducam, ea mihi ſoli reſervare aliisque turpiter invidere: hincnon potui non ea, quæ hactenus de novo hoc medicamenti genere mihi innotuére, boni publici ergò fuſius deſcribere, aliisque ſimul ulteriorem inquirendi anſam ſuppeditare, quò tandem reliqua, quæ de ſolo natali, planta & vegetatione hujus ſimplicis usque deſiderantur, in apricum veniant, & ita perfecta ejus hiſtoria aliquando exſpectari poſſit. Faxit Deus, ut omnia feliciter!*

CAP. I.

CAP. I.

DE
HISTORIA FABARUM NATURALI, ET IN SPECIE, DE NOMINE FABARUM S. IGNATII.

§. I.

FAbæ quaſi fagæ, ἀπὸ τȣ̃ φάγειν, dictæ ſunt, cùm ex omnibus leguminibus fabis primùm uſi fuerint mortales, referente *Iſidoro de Originibus Ling. Lat. Lib.* 17. *cap.* 4. *fol.* 86. Hinc mirari ſubit, cur antiquisſimis temporibus à fabarum eſu quidam abſtinuerint, quod de Ægyptiis refert *Plutarchus in Convivalibus*, adeò ut easdem ne plantare quidem auſi fuerint, malo illas omini eſſe putantes, ita ut ab eódem Plutarcho *Lethi Erebique cognomines* dicantur, quùm Lathyrus & Erebintus, à lethe & Erebô dicta, ciceres & fabas denotent. Ratio fortè eſt, quòd è Pythagoræorum ſuperſtitione animæ demortuorum in animalcula illa transformentur, quæ in fabis generantur, quod vel lugubris illa florum ſignatura illis atteſtari videbatur. Unde Antiquos, ad conjurandas demortuorum animas, Romanos autem, in ſacrificiis pro defunctis, illis uſos eſſe, teſtatur *Plinius Lib.* 12. *cap.* 18. *Hiſtor.*

§. II.

An verò eam ob cauſam à Pythagorâ fabarum eſus olim interdictus fuerit, ut communiſſima fert opinio, illud adeò planum non eſt. Quando enim Pythagoras ſuos κυάμων ἀπέχεσθαι juſſit, illud non tam de fabis, quàm amplexu Venereô intelligendum eſſe, ex *animadverſionibus Renati Moreau in Schol. Salernit.* obſervat Doctiſſ. *Ammannus*, in *Charactere Plantarum novo, pag.* 98. adeòque *Dodonæi* potius, quàm Pythagoræ auctoritate à fabis antiquorum (quas voce κυάμου ſemper intelligendas eſſe cenſet *D. Simon Pauli, in Quadr. Botan. Claſſ. 2. p.* 28.) abſtinere jubemur, quæ tamen malignæ & longè alius, quàm noſtrates, Græcis τοῦ φασήλου nomine venientes, naturæ & efficaciæ fuiſſe, è *Theophraſto* ferè colligeres, qui putamina fabarum ſteriles plantas efficere, ſi radicibus earum apponantur, imò & gallinas, ſi crebrò ea edant, docet, quod de noſtris dici nequit.

§. III.

Cùm autem virulentæ hæ Antiquorum fabæ noſtris hominibus ferè incognitæ ſint & tam è culinis, quàm officinis exulent: hinc de Fabis hodienum uſitatis potiſſimùm ſoliciti erimus, quæ tantùm non omnes ad herbas, flore papilionaceo referuntur, tam ſcandentes, ut phaſeolus, quàm non ſcandentes, ut fabæ ſtrictè ſic dictæ, lupini &c. quo ſenſu faba καθ' ἐξοχὴν ſic dicta, à Dn. *Ammanno in Charact. Plant. Novò p.* 97. ſuccinctè, ſed accuratè deſcribitur, quod ſit legumen non ſcandens, ſiliqua erectâ. Conf. *Rajus in Methodo Plantarum Nova Tab.* XXXIV. *pag.* 132.

§. IV.

Cæterum utrumque fabarum, ſcandentium ſcil. & non ſcandentium, genus, varias ſub ſe Species complectitur, quas hâc vice in eſculentas & Medicas diſpeſcere liceat: In priori claſſe continendo fabas tam Domeſticas, quàm Sylveſtres, partim hominibus, partim & beſtiis in alimentum (utut non adeò laudabile) cedentes: Phaſeolos item, tam noſtrates quàm Indicos, quorum poſtremi in majores, medios, & minimos ſubdividi poſſent; è

quibus

quibus priores, variâ colorum picturâ ludentes, in hortis undique ſunt frequentes: Minimi autem ſemina coccinea, nigra maculâ notata; à Stentoribus granorum Paradiſi nomine venduntur, & de collo ſuſpenſa tanquàm ſingulare ſpecificum contra Epilepſiam alioſque morbos frandulenter dilaudantur: Maximus autem Indorum Phaſeolus, cordis figuram habens, una cum lupinis, ad fabas Medicas referendus eſt, qui ob inſignem, quâ pollet, acrimoniam, purgandi facultate præditus eſt, unde & *FABA PURGATRIX* & à ſolo natali, *FABA D. THOMÆ* dicitur, de qua è *Cluſio* fusè *Wormius in Muſeô Cap. XXVI. p. 198.*

§. V.

Sed quò fructus ille decantatiſſimus, *COFFI* ſc. referendus? annon & hic ad alteram fabarum claſſem pertinet? Equidem ita ſtatuere videtur maxima Autorum pars, quæ nucleos hos receptiſſimô fabæ nomine inſignire ſolent. Anſam ſententiæ huic fortè dedit, quod Arabibus *Bunchum* & *bon* dicatur fructus hic, quod inſignem cum vernaculo fabarum nomine (bohnen) affinitatem habet: Interea tamen ſi fabarum notam characteriſticam cum fructu hoc, baccis lauri ferè ſimili, conferamus, ne minimum quidem indicium reperiemus, cuius intuitu ad fabarum genus referri debeat. Ut taceam fructus, Coffi dictos, non tam in plantis, ut faba & phaſeoli, ſuccreſcere, ſed ex arbore proficiſci, quam è *Proſperi Alpini Hiſtor. Plantar. Ægypti*, in fig. æneâ, ob oculos ponit, B. *Laur. Strauſſius*, in *diſſert. de Potu Coff.* in *Append. Schrœderianâ* conſpicienda, quam ſuppreſsó Autoris nomine, in linguam Anglicam tranſlatam, Londini 1685. recudit Anonymus, in Tr. *Manner of Making of Coffee, Tee and chocolate &c.*

§. VI.

Et idem quoque de *FABIS S. IGNATII* dicendum, quæ nihil minus ſunt quàm fabæ, quibuſcum neque ſubſtantiæ, neque texturæ, neque qualitatum & effectuum intuitu quicquam commune habent; Fabæ enim farinaceæ ſunt & facile comminuuntur: S. Ignatii verò fabæ, ut dicuntur, corneæ ferè & diffi-

 culter

culter in pulverem convertendæ. Fabæ propriè ſic dictæ umbilico gaudent & in ſiliquis generantur : Fabæ S. Ignatii utrisque deſtituuntur, ſed ſpirarum inſtar bacillis ſuis à lateribus undique adhæreſcere putantur. Priores flatuum proventum generant, ut *Piſanellus de eſcul. & potul. facult. p.* 128. loquitur, & juxta *Eobani Heſſi carmina, de tuenda bona valetud. p.* 70.

Sæpe fabæ leni ſufflarunt corpora flatu.

Poſteriores ècontra flatus non tam generant, quàm diſcutiunt, adeoque virtute carminativâ gaudent, tantâ quidem, ut vix in corpus aſſumtæ murmura & rugitus abdominis excitent flatusq; ἄνω καὶ κάτω erumpere faciant, ut nuperrimè adhuc in puerulo quodam obſervavi, qui vix aſſumtis tribus fabarum harum granis, audi, inquit, ut vermes in corpore tonitruant: erumpentibus mox cum εὐφορίᾳ, flatibus copioſis.

§. VII.

Cur tandem à *S. Ignatio* nomen ſuum mutuentur? uſquedum incertum eſt. An, quòd S. Ignatius in Eccleſia Romano-Catholicâ ad curationem plurimorum Sonticorum, cumprimis convulſivorum, affectuum, quibus & fabæ hæc medelam adferunt, curandos honoretur? An, quòd à PP. Jeſuitis, quorum Stator & Fundator eſt S Ignatius, teſte perſonato *L. C. Europæô*, in *Monarchiâ Solipſorum* p. 61. in Indiâ Orientali fortè obſervatæ & Luſitanorum Mercatoribus primùm commendatæ fuerint? Interim quicquid de nomine tandem ſit, quod dies mage docebit, nos hâc vice de eſſentia, qualitatibus & viribus earum erimus ſoliciti, quæ, in quantum hactenus de iis obſervare & experiri potuimus, in ſubſequentibus candidè explicabuntur.

CAP. II.

CAP. II.

DE SUBSTANTIA, QUALITATIBUS ET PRÆPARATIS FAB. S. IGNATII.

§. I.

DUm ergò, nemine hactenus præeunte, novum hoc medicamenti genus deſcribendum ſuſcipio, idem mihi fatum accidit, ac *Jeſuitæ Scheinero*, qui variis tentaminibus Parallelogrammi Pantographici inventioni ſtudens, primum caput S. Ignatii efformavit, ut in *Pantographices lib. 1. p. 5.* enarrat. Ego verò non caput, ſed *FABAS S. IGNATII* depicturus, ea, quæ tum ex commerciô literariô amicorum, tum & propriis obſervationibus ac experientiâ hauſi, candidè impertiam & in ſolatium ægrorum, cum Eruditis & probatis hujus ſeculi Medicis amicè dividam.

§. II.

Equidem *Patriam* illarum *ſolumque natale* ſpeciatim hactenus explorare non licuit, quam nonnulli Inſulas Philippinas eſſe credunt. Interim ex Indiâ Orientali illas, à Luſitanis, in Europam primùm allatas eſſe, extra omne dubium locatum eſt.

§. III.

Multo minus autem de Vegetatione illarum certi quid in medium adferre licet, quæ & Curioſiſſimos Europæ Medicos & Botanicos adhuc latet. Sufficiat igitur *ſubſtantiam illarum* hâc vice ponderaſſe, quæ extus ſtriata, intus verò cornea & ungulis haud abſimilis eſt, quarum inſtar in raſuram magis, quam pulverem converti poſſunt; tenui ſimul eaque gryſei coloris, pelliculâ cincta, quæ in aquâ (ut in TAB. I. *Fig. 5. n. 3.* videre eſt) facilè ſecedit & chartam Indorum ſericeam ferè æmulatur, adeò quidem

dem, ut primâ fronte fructum, conſervationis ergò, chartæ huic agglutinatum & involutum eſſe videri poſſet. Pellicula hæc fructum continet variæ *figuræ*, mox ovalem, mox amygdaloidem, mox triangularem, plerunque tamen corculi gallinarum formâ & nucis moſchatæ minoris magnitudine præditum: *Vid. TAB. I. Fig. V.* ubi *num. 1.* faba S. Ignatii pelliculâ adhuc cincta *n. 2.* carioſa. *n. 3.* pelliculâ externâ abraſâ & *n. 4.* per medietatem diſciſſa exhibetur. Fructus hic *coloris eſt ſpadicei* & ex atro-fuſci: *Odoris grati* & ſi radatur aut pulveriſetur, quodammodò moſchati: *Saporis gratè amari*, abſinthium, aut centaurium minus exactè æmulantis, gummoſi tamen ſimul & mucilaginoſi.

§. IV.

Quodſi jam aliquam *fabarum* noſtrarum *Anatomiam* inſtituerimus & in particulas illarum inquiſiverimus, oppidò conſtabit, in iiſdem præter particulas terreſtres & hamatas abundare quoque ſalinas volatiles oleoſas, quarum priores illis amaritiem blandamque facultatem adſtrictivam: Poſteriores verò caliditatem, vim diaphoreticam bezoardicam, carminativam & nervinam: Utræque autem vim ſpecificè ſtomachicam inpertiunt; & quia ſubſtantiâ compactâ & quodammodò reſinosâ gaudent, nonniſi menſtruô oleoso & ſulphureo, poris illarum appropriato & proportionato, recludi poſſunt.

§. V.

Hoc quidem diffiteri non poſſumus *Fabas S. Ignatii vino, vel aquæ,* ſive ſimplici, ſive deſtillatæ cuicunque per unam aut alteram horam, *injectas*, huic inſignem amaritiem communicare, hâcque ratione infuſionem ejus, non ſecus ac cum lapide porcinô fieri ſolet, feliciſſimè quoque in quamplurimis affectibus exhiberi: Quia tamen liquoribus ejuſmodi aquoſis tincturam ſuam non impertit, ſequitur, infuſiones ejuſmodi pro radicali ſolutione habendas non eſſe, quæ nonniſi Spiritu Vini, ſive ſimplici, ſive rectif. aut ſale Tartari acuato, ſimilivé menſtruo, obtineri poteſt.

§. VI. Hâc

TAB. I.



§. VI.

Hâc enim ratione Indi quoque è *Fabis S. Ignatii Eſſentiam* quandam, cum liquore Arack, h. e. ⁓ è Saccharo & Vino palmite confecto, parare norunt, coloris aurei & ſaporis amaricantis, in confortando Stomachi tono, cruditatibus, epilepſiâ ſtomachica, aliisque affectibus egregiâ; qualem ſpiritu vini ſimplici exinde quoque obtinui. Doſis ejus eſt à ℈i ad ʒß, quæ ultra ʒi non extendenda, cum exceſſivè ſumta convulſiones, quas aliâs curat, cum periculo vitæ excitet. Notabilem hîc caſum mihi nuper admodum è Belgio communicavit Solertiſſimus non minus, quàm Curioſiſſimus *Dn. D. Spenerus*, de Nautâ, Eſſentiam Fabæ S. Ignatii, ab Eccleſiaſte Maritimo (quem Belgæ *Domine* vocant) ex India allatam, incautè pro ▽. vitæ ingurgitante, qui non ſine vitæ periculo convulſionibus correptus fuit horribilibus; unde & hoc medicamentum à Prudentioribus adhibitum manus DEI, ab imprudentibus verò aſſumtum, culter in manu furioſi dicendum.

§. VII.

Aliâs quoque ⁰₀⁰. è *Fabis S. Ignatii* conficitur, ſi in ⁰₀⁰ communi decoquatur; quod ob virtutem, quâ pollet, nervinam & balſamicam, ſcabiem curare & dolores articulorum ſopire valet; quemadmodum in ſubſtantia denique, ſi in raſuram aut pulverem convertatur, in his æquè ac aliis affectibus, à gr. iii. vi. ad x. feliciſſimè & impunè propinatur, de quibus fuſius in Cap. ſubſequenti.

CAP. III.

DE USU FABARUM S. IGNATII.

§. I.

UT inter medicamenta alterantia, amara tantùm non omnia, Stomacho ſunt proficua, juxta Germanorum proverbium:

Bitter im Mund
Dem Magen geſund:

ita idem quammaximè in Fabis noſtris obtinet, quæ in omnibus Ventriculi affectibus, debilitatibus, à cruditatibus illîc collectis utplurimùm oriundis, mirè confert, quas potentiſſimè abſumit. Hinc non poſſunt non in ANOREXIA, PICA, APEPSIA, CARDIALGIA & ſimilibus egregiè convenire, ſive in ſubſtantia dentur, ſive eſſentia.

Illîc Rec. *Fab. S. Ignat. gr. viij.*
elæoſacch. citri gr. vj. M.
S. Magenzucker auff einmahl.

Hîc Rec. *Eſſent. Fab. S. Ignat.* ℥j.
abſinth. C.
Elix. Vitriol. Mynſ. ana ʒß.
M. Doſ. gt. xxx.

Poteſt autem his in caſibus acui eſſentia illa ſale ammoniacô, ad imitationem Specifici Stom. Strauſſiani, ſeu rectius Conerdingiani, ſi in ſpiritu vini rectificato ſolvatur ſal armoniacum & hôc poſtmodum extrahatur Fab. S. Ign. addendo guttas quaſdam ⁰₀₀ caryophillorum; qua ratione in *phthiſi incip.* (cui faba dicatur etiam) magè conveniret.

§. II.

Et idem quoque ſolamen inde ſperare poſſunt Inteſtina, quæ, ſubſtantiæ intuitu, nihil aliud, quàm ventriculus ſunt continuatus. Speciatim autem in torminibus illorum ſpaſmodicis (Infantibus aliâs familiaribus) egregiè ſeſe gerunt, COLICA ſc. & ILEO, ſi per horam tantum ▽. menthæ infundantur, quâ ſolâ, cum ſalis abſinthii interpolatione, iliacos aliâs reſtituere docet *Sydenham, De Morb. Epid. cap. 4. p. 4.* approbante methodum ejus *D. Strauſſ. in Palæſtra Med. Part. 3. Gymn. VI. §. XIII. p. 133.* v. g.

Rec. *▽. menth.* ℥j.
infunde illi per horam *Fab. S. Ign. gr. vj.*
D. pro doſi, repetendo omni horâ.

Cumque

Cumque fluxus alvi p. n. ſive torminoſi, ſive ſimplices, utplurimùm à digeſtione primâ vitiatâ oriantur, non poſſunt non in DIARRHOEA, DYSENTERIA & ſimilibus affectibus egregiè convenire, præmiſſo cumprimis Ipecacuanhæ uſu, quæ ſi dejectionibus ἄνω vel κάτω factis tono inteſtinorum incommodet, fabarum noſtrarum uſu omnia facilimè in integrum poſſunt reſtitui.

§. III.

Non minus in aliis affectibus, per conſenſum è ventriculo ſurgentibus, ſummoperè conveniunt, CATARRHIS v. g. ODONTALGIA, VERTIGINE & EPILEPSIA CONSENSUALI; adeò quidem ut à Luſitanis, easdem primum advehentibus, pro ſpecifico antepileptico venditatæ fuerint; quod ipſum tamen non tam de epilepſia idiopathica & habituali, quàm potius ſtomachicâ, in pueris aliâs ſatis obviâ, intelligendum; quamvis & in adultis ſæpius in ventriculô, quàm ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ, cauſam ejus radicari, aſſerere nullus dubitem. Inde enim eſt, quod in Epilepſiæ curâ tam proficua ſint Vomitoria, ſine quibus nulla epilepſia radicitus curatur. Jungatur autem cum ſpecificis antepilepticis, v. g.

Rec. *Specif. cephal.*
ſuccin. præp. ana ℥ß.
ægagropil.
Fab. S. Ignat. ana ℈j. M.

§. IV.

Cumprimis autem in FEBRIBUS ſe maſculè gerunt Fabæ S. Ignatii, tam INTERMITTENTIBUS, quam CONTINUIS malignis. Prioribus enim, ut omnia abſinthiaca amara, adeò adverſantur, ut & quartanam, absque metu recidivæ, curet, ſi aliquoties ad gr. x. dimidiâ horâ ante paroxyſmum detur. Quodſi Æ. quis à Chinæ Chinæ uſu tunc abhorreat, præmiſſis præmittendis aliquoties utatur pulvere ſeq.

Rec. *Fab. S. Ignatii* ℈ß.
flor. ⊖ ✱. *gr. v.*
ſacch. perl. parum.
F. Pulv. pro 3. aut 4. doſ.

Tertianam duplicem certè nuper adhuc, in filiolo meo V. annorum, fabis hiſce, vix unâ l. alterâ vice adhibitis, feliciſſimè curavi. Dederam illi prius vomitorium ex Ipecacuanha & Tart. emetico, quô febris profligebatur. Mox autem, recidivante illa, puerulo dedi gr. iij. fabarum, hor. j. ante paroxyſmum & febris ſtatim emanebat. Repetii altero die, & feliciſſimè curatus eſt.

§. V.

In Ardentibus, tam Benignis, quàm Malignis, itidem fabarum noſtrarum uſus haud inanis eſt, quas virtute ſuâ bezoardica & diaphoreticâ curando abigit: quâ & contra febres inflammatorias, in pleuritide, non contemnendæ virtutis eſt. Imminentes autem virtute balſamicâ, myrrhæ (quâ plures ſe munire ſolent) haud abſimili, avertit & ab illis præſervat. In febribus ardentibus (verba ſunt DD. *Wedelii in lit. ad Dn. D. Schelhaſſ.* datis) faba S. Ignat. data cum ſucceſſu, ſed cum pulvere bezoardico. Quod ipſum in PESTE, VENENIS ASSUMTIS & MORSIBUS ANIMALIUM quoque locum habet. Adeoque quamprimùm quis infectus ſibi videtur, præmiſsô aut omiſſo vomitorio

Rec. *Tinct. bezoard.* ℥ß.
Eſſ. Fab. S. Ignat. ℈j. M.
D. expectando ſudorem.

Et cùm omnibus illis affectibus CARDIALGIÆ tam moleſtæ ſint, hinc vi ſuâ ſtomachicâ, non ſecus ac lapis Pedra del porco dictus, easdem certô certius ſopire valent, cinnabarinis & opiatis, urgente neceſſitate maritatæ; ſi verò calor febrilis magis quàm malignitas urgeat:

Rec. *Pulv. bezoard. Angl.* ℥ß.
Fab. S. Ignat. ℈ß. M D. pro 2. doſ.

§. VI. Tan-

§. VI.

Tandem & EXTERNUS fabarum harum USUS etiam expendi merebatur, quem in HÆMORRHAGIA præſtare dicuntur, ſi raſura illarum vulneri, aut loco cruentato applicetur. Integræ autem Fabæ, amuleti loco regioni cordis appenſæ, à peſte, febribus epidemicis malignis & venenis præſervare creduntur; cui ſi quis fidem adhibere velit, me quidem adverſantem non habebit; quamvis non diffitear me interno illarum uſui, etiam præſervationis gratiâ adhibito, plura tribuere, quùm amuleta multum ſuperſtitionis alant: **Es gehöret ein ſtarcker Glaub darzu**: Manus autem Medicorum oculatæ ſunt, credunt quod vident, h. e. quod rationi & experientiæ conforme!

CAP. IV.

DE
SUCCEDANEO FABARUM S. IGNATII.

§. I.

CÆterùm cùm ob nimium, quô uſquedum veneunt, pretium (unica enim novem l. 20. bacis divenditur) non ita parabiles ſint Fabæ S. Ignatii, cogitandum quoque erat de medicamento quodam domeſtico, illis, donec & frequentiores & viliores fiant, ſurrogando, quod in Centaurio minore, cujus ſaporem fere habet, obtinebimus, utpote quod virtute ſtomachicâ & alexipharmacâ ad Fabas S. Ignatii quamproximè accedit.

§. II.

Equidem in Febribus intermittentibus centaurii hujus uſus in Praxi & frequens & præſentaneus eſt, in quibus eſſentia ejus & extractum (cujus *Galenus* jam ſuo tempore meminit, obſervante *Simone Paulli in Q. B. p. 244.*) feliciſſimè medetur, tam per ſe, quam eſſentiæ abſinthii adjecta. In febribus malignis autem & venenatorum animalium morſibus herbam hanc plurimi feciſſe cit. modo *Galenum*, ex ejusd. *Tr. de Virtute Centaureæ c. 1. & 20.* videre licet. Imò & externam ejus virtutem Traumaticam, ex obſervatione, *Sculteti* habet *Pauli cit. loc.* Reliquas autem virtutes enumerat *Sam. Ledelius in Deſcript. Centaurii Minoris curioſiſſimâ.*

§. III.

Interim quæ ſupra de nimiô & exceſſivô Tincturæ fabarum uſu, vel ſi mâvis, abuſu diximus: Ea ad ſuccedanei ejus, centaurii minoris uſum, quoque applicanda erunt, quod largiori doſi ſumtum in ſexu ſequiori menſes & abortum provocat; ſicut hunc in finem meretriculæ ſubinde plantâ hâc abuti ſolent, cujus notabile exemplum occurrit in *Reſponsô Facultatis Medicæ Giſſenæ*, in causâ Abortum concernente, olim impertitô, quod, ſis, vid. in *Pandectis* noſtris *Medico-Legalibus, Part. I. Sect. I. Caſ. XXII. pag. 80.*

Tantum!

DISPU-

DISPUTATIO II.
DE
IPECACUANHA.
PROOEMIUM.

S*Pecificorum medicamentorum exiſtentiam qui negant, Naturæ æquè ac ſanæ Medicorum Arti vim mihi facere videntur maximam. Quemadmodum enim poſſibilitatem eorum modumque operandi in naturâ fundatum eſſe docet* F. Hoffmannus in Diſp. de Med. Specif. *veræque Modernorum Philoſophiæ minus contrariari oſtendit Illuſtris* Boyle, Tr. de Specif. Med. conven. cum Philoſ. Corpuſc. *ita fidiſſima rerum Magiſtra, Experientia, ſummam eorum & efficaciam & utilitatem ad oculum demonſtrat.* Quajaci *ſanè vires in curandis affectibus* ♀ *reis non vulgares ſunt, ſed ſpecificæ.* Sulphuris *in affectibus cutaneis efficacia planè ſingularis eſt, ejusque ſpeciem quandam arthritidis vagæ remedium eſſe certiſſimum, methodo cujusdam Medici Celeberrimi conſtat.* Corticem verò Peruvianum *febribus aliisque affectibus periodicis ſpecificè contrariari; quis ignorat? Et utinam plura hujus generis ſimplicia nobis innoteſcerent! ſiquidem vix aliâ ſemitâ ad ſummam Artis Medicæ perfectionem tandem devenire morbosque certius edomare poterimus. Novum hujus rei ſpecimen dedêre Galli, qui radice quadam, IPECACUANHA dicta & per Luſitanos ex Indiis allata, non tantùm Pariſienſes ſuos, ſed & maximam copiarum Bellicarum partem à Dyſenteria, morbo ut ſpurciſſimô, ita & graviſſimô, liberarunt, ut non tantùm fama, ſed & Regis ſanctiſſimâ ſubſcriptione munita diplomata nuper confirmarunt. Sic enim Excerpta ex literis patentibus Regiis, à* D. Helvetio *& abhinc à* Dn. Leibnizio *nuper*

evulgata

„*evulgata atteſtantur, quæ ita ſe habent: Ludovicus Dei gratia, Rex*
„*Franciæ & Navarræ &c. &c. Noſtris dilectis & fidelibus Conſiliariis*
„*& aliis Officialibus, ad quos pertinebit, ſalutem &c. Mandato noſtro*
„*Remedium hoc Specificum (ſine recidivæ periculo, Diarrhœam,*
„*Fluxum ſanguinis & Dyſenterias infallibiliter perſanans) diverſis*
„*experimentis examinatum comprobatumque & in Hoſpitali Generali*
„*& in Hoſpitio Dei* (hoſtel Dieu) *Urbis noſtræ Pariſiorum, ſucceſ-*
„*ſitque indiſcriminatim in omnibus omnino ægris, tali genere morbi*
„*laborantibus, etiam maximè deſperatis. Præterea Conſiliarius noſter*
„*& Archiatrorum Comes, Daquinus, multa experimenta &*
„*ſumſit ipſe & per alios ſumi curavit, quæ omnia eundem prorſus ſuc-*
„*ceſſum habuere, quem ad nos retulêre Legerius, Doctor Facultatis Me-*
„*dicinæ Pariſinæ & Gatelerius Chirurgus, quibus perquiſitio in hanc*
„*rem à nobis fuit commiſſa &c. Quandoquidem autem nobiliſſimum hoc medicamenti genus Noſtris in Regionibus ne quidem nominetenus cognitum ſit, hinc illud quam digniſſimum exiſtimavi, quod pro argumento* Diſputationis publicæ *ſeligerem & quantum in Exteris de eo hactenus mihi innotuit, in publicum producerem, haud alium in finem, quàm ut Jehovæ Trinunius Gloria magis celebretur, Ægrorumque ſalus facilitetur, id quod faxit DEUS!*

CAP. I.

DE

NOMINE, DESCRIPTIONE & HISTORIA IPECACUANHÆ.

§. I.

UT alia ex Indiá utrâque ad nos allata ſimplicia, pro varietate Nationum, à quibus ſive obſervantur, ſive colliguntur, variis ſimul nominibus donantur, ita & Radici, de qua agimus, hoc accidit,

accidit, quæ *Braſilienſibus* IPECUANHA & ſi *Marggravio* credendum, Ipecacuanha, ab aliis Hypoacanna & Cagoſanga dicitur, HISP. Bexugillo vel Beguquella, Beculo, Beloculo: LUSITANIS Cipo de Cameras, GALLIS Becouguille ou Mine d'or, ſeu auri minera vocatur, quùm non alibi, quàm prope ☉ mineras ſuccreſcat, quæ ultimum ipſi nomen tribuerunt. Aliis à Regione Radix Braſilienſis & ab effectu Radix Dyſenterica audit. Hinc breviter deſcribi poteſt, quod IPECACUANHA ſit Radix Exotica, nodoſa & quaſi geniculata, curandæ Dyſenteriæ ſpecificè dicata.

§. II.

Occaſionem, quâ Europæis primùm innotuit, ſuperiori jamdum anno, ex Illuſtris *Leibnitzii Relatione ad Nat. Curioſos, de Novo Antidyſenterico Americano*, dedimus, in Præfat. *Diſp. de nova Herniarum cura Regis Galliæ:* Mercator ſc. Gallus GRENIER 150. libras hujus Radicis ex Hiſpaniâ Pariſios attulerat easque experientiæ D. *Helvetii* Jun. commiſerat, qui in Noſocomiis probatiſſimas Remedii hujus vires expertus, rem tanquam à ſe inventam, ad Regem detulit & obtento non tantum munere, ſed & Regio privilegio, (cujus ipſe HELVETIUS mentionem facit in Dedicat. lib. *de curat. febrium per Chinam Chinæ in Clyſteribus*, Parmæ Italicè quoque editi) liti, quæ inter Mercatorem & ſeipſum in Curia Pariſienſi agitata fuit, occaſionem dedit. Et hinc ferè eſt, quod citatus *Helvetius* remedium hoc ſive primum inveniſſe, ſive in uſum traduxiſſe aliisque manifeſtaſſe, à quamplurimis cenſeatur. Aſt licet eodem ferè tempore novam hanc Dyſenteriæ curationem (ſuppreſſo tamen Remedii nomine) publicæ luci expoſuerit, non tamen primus ille fuit, qui eam ſive deſcripſit, ſive exercuit, cùm non tantum A. 1690. Menſe Januario theſes quædam, *de Radice Braſilienſi*, in Scholis Med. Pariſienſib. ventilatæ ſint, ſed & expreſſo nomine fusè eandem deſcripſerit *Guilielmus Piſo*, in *Hiſtor. Naturali & Med. Braſiliæ.* Quid quod jam à viginti & quod excurrit annis eandem ſe Pariſiis vidiſſe aſſeveret

C *Petrus*

Petrus Pomet in *Hiſtoria generali ſimplicium,* Gallicè conſcripta, *Lib. 2.c.1.pag.46.& ſeqq.* ubi dicit: il y a plus de vingt années, que i'en ay vu à Paris, pour preuve c'eſt, qu'il s'en eſt trouvé une aſſez bonne quantité dans la boutique du feu le S Claquenelle, Maître Apoticaire, qui tomba entre les mains du Sr. Poulain, ſon genre, auſſi Apoticaire, qui l'a remis en uſage, par ordonnances du Sr. Helvetius. Cur autem tot annis ante latuerit in officina Pharmaceutica, quàm in uſum traducta fuerit, ſine dubio in causâ fuit, quòd vires ejus & utendi modus adhuc fuerint incognita, quæ *Grenerii* relationi & communicationi debet *Helvetius.*

§. III.

Quod hiſtoriam ejus naturalem & in ſpecie LOCUM NATALEM attinet, certum primò eſt, Radicem hanc ex Americâ ad Nos adferri. In quanam verò hujus parte proveniat, non ita planum eſt. *Grenerius* ſupra citatus in *Notis ad methodum medendi* ab *Helvetio* editam, ex Peruviâ obtineri cenſet, æque ac corticem febrifugum quem Peruvianum alias, à loco natali, vocant. *Piſo* econtrà è Braſilia ad nos transferri adſtruit, unde & herba ejus Planta Braſilienſis *Marggravio* dicitur. His è Modernis adſtipulatur *Pometus* l. c. qui radicem hanc à Batavis & Luſitanis ex eo Braſiliæ tractu, qui Rio de genecyro dicitur, apportari perhibet, quod nomen fluvii eſt, Americam Meridionalem alluentis. Propterea tamen negari non poteſt etiam per Hiſpanos ex Peruvia afferri, cum obſervante Illuſtri *Leibnizio* multa ſimplicia Braſiliæ & Peruviæ communia ſint, ipſumque Balſamum Peruvianum etiam in Braſilia reperiatur.

§. IV.

Planta hujus radicis B. *Dn. Hermanno* repens dicitur ipſique videtur annua. *Pomet* è contra plantas omnium Specierum (de quibus infra) partim repentes, partim erectas eſſe ſtatuit, ita ut ad altitudinem dimidii pedis aſcendant, foliis parietariæ haud diſſimilibus, è quorum mediô flores albicantes V. petalorum erumpunt, parvis capitulis inſiſtentes, baccas fuſci coloris proferentes,

quæ

quæ maturitatis tempore obſcurè rubent, craſſitie ceraſi ſylveſtris. Baccæ hæ pulpam albicantem & ſucculentam comprehendere dicuntur, in quâ bina grana eaque dura & flaveſcentia, lenticularis figuræ, continentur, vid. *Pomet. loc. cit. Piſo* verò aliter plantam Ipecacuanhæ Albæ, aliter Nigræ deſcribit, quarum priorem in pratis repentem, alteram vero in locis opacis & nemoribus denſioribus plus minus erectam reperiri cenſet, ejusque figuram addit.

§. V.

Collectio radicis hujus iis, qui ad metalla damnati ſunt, committi dicitur, è quibus tamen ſolertisſimus & laborioſiſſimus per integrum annum vix ultra XII. libras colligere valet, quod ipſum pretium ejus tantoperè augere ſolet. Libra enim ejus in Batavia XXX. florenis ſi non tot imperialibus & ultra venire ſolet; unde noſtris in Regionibus parcâ manu, cumprimis in pauperibus, præſcribi poteſt. Quô tempore autem colligi debeat, ex communi illa Regula conſtat, quâ herbæ in flore, radices in vigore colligi jubentur. Poſt collectionem exſiccata ſervari poteſt in multos annos, cum ob reſinoſitatem non facile vires deponat antidotales, diaphoreticas, licet aliquid de emeticâ perire ſoleat.

CAP. II.

DE SPECIEBUS IPECACUANHÆ EJUSQUE SELECTU.

§. I.

Binas Ipecacuanhæ Species reperiri, ſuo jam tempore oſtendit *Piſo*, Nigram ſcil. & Albam, vid. *Hiſt. ejus Nat. & Med. Braſiliæ lib. 4. cap. 53. pag. 131.* Gallus verò ſuprà citatus Tertiam addit, flaveſcentem, dum in *Appendice* libri allegati inquit: On

apporte trois ſortes d' Ipecuanha d' Amerique, ſçavoir la noiratre, la blanche & la blonde : quæ poſtrema verò, nî fallor, proles eſt herbæ Caapiæ dictæ à *Piſone* ſupra cit.

§. II.

IPECACUANHA NIGRA communis eſt Species è Braſilia ad Nos delata, quam fusè deſcribit *Piſo*, qui primus omnium Specifici hujus antidyſenterici mentionem fecit. Radix eſt digiti ferè longitudinem adæquans, craſſitie calami ſcriptorii, flexuoſa, inæqualis & quaſi geniculata, plurimis aſperisque in ſuperficie circulis aut annulis exaſperata, extus fuſca, intus griſea, ſapore ſubacri & quodammodò amaro nauſeoſo, linguam maſticata mucilagine quadam quaſi inveſtiens, reſinoſa ſimul & pinguis, unde quoque durabilitas ejus deducenda, ſiquidem reſinoſa diutius aſſervari poſſunt, quam ☉no volatilia: Miteſcere tamen tempore & acrimoniæ aliquid deponere, inde patet, quod recentior magis acris ſit & nauſeoſa, quàm exſiccata.

§. III.

ALBA, quæ IPECACUANHA BLANCA Luſitanis audit, rarior eſt & penes Europæos non æque uſualis. Adfertur pariter ex Braſilia, & in eo differt à priori, quod radicibus gaudeat albicantibus, ad been album vel rad. dictamni albi proximè accidentibus. Folio autem acetoſæ folio rotundo ſimilia ſunt, licet alii pulegio eandem aſſimilent. Diſcrepat etiam intuitu figuræ & ſuperficiei externæ, ſiquidem gracilior eſt priori, nec tot zonulis gaudens, nec adeo amara. De reliquis ratione uſus differentiis in cap. ſeq. fuſius dicetur.

§. IV.

FLAVÆ denique nemo, quod ſciam, unquam mentionem fecit, præter unicum *Pometum*, qui in *appendice* operis ſui ſupra laudati ſequentia de illa refert: Flava, *inquit*, ex Peru adfertur „per Hiſpanos, quibus Bexugillo audit, quod in vernacula noſtra „Becouguille ſonat. Craſſiſſimæ ejusdem radices tres præterpro-„pter lineas æquant craſſitie. Radices ſunt intortæ, annulis qui-

busdam

buſdam exaſperatæ & flaveſcentes, per quarum longitudinem „ nervus ſeu fibra trajicitur ipſis pallidior, hæcque fibra cortice „ circumdata eſt, lineæ craſſitie, fragili, ſi bene exſiccata eſt, ama- „ ra, reſinoſa & in qua virtus medicamentoſa potiſſimum concen- „ trata eſt. Eæ quæ ordinariò venum proſtant, vix unius vel alte- „ rius lineæ craſſitiem habent, nihil tamen obſtat, quo minus inſi- „ mul optimè conducant.

§. V.

Ex his omnibus palmam ducit flava, quæ ſupra auri mineras reperitur, in apicibus montium, cum reliquæ binæ Species in eorum radicibus, vallibus, pratis aliisque locis ſuccreſcant; id quod in cauſa eſt, quod hæc & rariſſima omnium & cariſſima ſit, eoque magis, quod & virtutibus reliquas antecellat. Nigram enim nimis vehementem, albam vero exiguæ virtutis eſſe teſtatur *Leibnitzius in Epiſt. ſupra alleg. §. 15.* Europæi nigrâ fere ſunt contenti, quæ cum adulterari ſoleat (ut exoticis ferè omnibus commune eſt) & ſæpiſſime minus recte depurata ad Nos tranſmitti, hinc ſelectus quidam inſtituendus. Eligatur ergo recens, carnoſa, compacta, nec fragilis, ſubſtantia gaudens reſinoſa, & quæ per medium ſui tractum fibram aut nervum tranſmittat, ſaporis acris amari & nauſeoſi. Maximoperè autem cavendum, ne fibris propriis & appendicibus permixta ſit, quas ii, qui eandem nobis afferunt, illic relinquunt, ut pondus augeatur & pretium, quandoque etiam innocentes, cum ſignum bonitatis raro ipſis notum ſit. Eæ enim tantum radicis partes ad medicinam antidyſentericam aptæ ſunt, quæ annulis & circulis circumdatæ ſunt, quales TAB. I. *Fig.* VI. ob oculos ponuntur: Glabræ econtra appendices, ſi non omni, antidyſentericâ tamen virtute prorſus deſtitutæ ſunt. Præſtat quoque ea, quæ cortice denſiori & craſſiori prædita eſt, hæc enim potentior, reſinæ intuitu, quæ in cortice magis concentrata eſt.

CAP. III.

DE QUALITATIBUS, USU & DOSI IPECACUANHÆ.

§. I.

LIcet Specifica medicamenti hujus vis à textura ejus formali potiſſimùm dependeat, unde tota ſui ſubſtantia agit, juvabit tamen in particulas eandem conſtituentes indeque profluentes qualitates ulterius inquirere, quæ uti partim fixæ, partim volatiles ſunt, ita harum intuitu, radix hæc calida eſt & acris: Illarum verò ratione adſtringens: Utrisque amarities debetur ſaporque nauſeoſus, unde facultas ejus tam emetica, quàm alexipharmica deducenda, quarum poſterior in Ipecacuanha alba, prior in reliquis duabus Speciebus magis obſervatur. Interim hoc quoque prætereundum non eſt, quod in quibuſdam ſubjectis non ſemper ἄνω, ſed quandoque κάτω humores p.n. educat, non aliter ac in emeticis vulgaribus quandoque fieri ſolet. Præter haſce nominatas qualitates *Piſo* illi tribuit quoque facultatem mentem ſerenandi ac infarctus reſolvendi.

§. II.

Non ſine cauſa igitur radix hæc tanto in pretio habetur à Braſilienſibus, qui ut virtutes ejus Nobis primi revelarunt, ita eandem religioſè reſervare dicuntur, quum, *Piſone* teſte, præſtantius remedium adverſus plurimos morbos in his terris non reperiatur. Quammaximè vero in quibuſvis alvi fluxibus, Dyſentericis imprimis compeſcendis, ſe admirandam præbet, quod expertus teſtor, cùm non materiam ſolum morbificam, utut tenaciſſimam, à parte affecta revellat, eamque per ſuperiora utplurimum expellat, ſed & adſtringendo viſcerum tonum reſtituat. Hoc enim præ

omnibus

omnibus adſtringentibus habet peculiare, quod antequam fluxum ſiſtat, vomitum prius moveat, ut Rhabarbarum prius laxare ſolet, quam adſtringere. Quid quod & virtute alexiteria miaſma dyſentericum per poros cutis exterminet, adeoque triplici ratione ad morbum hunc ſubigendum conducat, vomitum prius, abhinc ſudorem & tertio adſtrictionem cauſando. Quantum enim adſtringentia, alexipharmacâ vi ſimul prædita, ad curandam Dyſenteriam faciant, tormentillæ radix docere poteſt, qua ſola pauperculi ſæpe haud infeliciter utuntur. Cum ergo omnia, quæ in quamplurimis antidyſentericis ſigillatim reperiuntur, in unica hacce radice, tanquam in exquiſitiſſimo naturæ munere (ut *Piſoni* audit) concentrata quaſi ſint, hinc & in Dyſenteriis inveteratis, etiam illis, in quibus inteſtinum rectum à materia adhærente eſt exulceratum, convenire dicitur à *Pometo.* Laudatur quoque in Teneſmo, ſi à materia cruda & plus minus acida è ventriculo & meſenterio ad inteſtina derivata & hinc revellenda, oritur; & cum in caſtris Dyſenteria quam maximè ex ſimilibus cruditatibus malaque Diæta propullulet, hinc mirari non ſubit, copias Gallicas curâ *Marchionis de Louvois*, Miniſtri Regis Primarii, ſpecifico hocce in ultimo bello ſervatas fuiſſe.

§. III.

Notabile vero & in Praxi maximè proficuum eſt, quod eadem Radix in febribus intermittentibus inſigniter conveniat, ubi opus eſt purgatione, & quidem citra recidivæ metum, quam cortici Peruviano vulgo tribuunt, uti ex propria experientia comprobat *B. Hermannus*, qui in tali caſu Ipecacuanham tum in ſubſtantia, tum in infuſo feliciter ſemper præſcripſit. In ſubſtantia quidem hac ratione:

Rec. *Rad. hypoac. pulv.* ℈ij. *vel* ʒj. D.
ex juſculo vel ▽ card. bened. vel vino abſinth.

Pro infuſione utitur vino abſinth. in dupla doſi.

Nec dubito in aliis pariter febribus ardentibus, cumprimis malignis, Diarrhœam in ſpecie conjunctam habentibus, egregie convenire,

venire, cùm materiam peccantem per vomitum expellendo, non Diarrhoeam modo ſiſtere, ſed & cardialgiam aliaque ſymptomata alleviare valeat.

§. IV.

Tandem DOSIN quod concernit, in ea quodammodò diſcrepant Authores. *Guilielmus Piſo* in pulverem redactæ ʒj. pro doſi exhibet: In infuſo vero ʒij. plus minuſve. *Pomet* paulò conciſiorem doſin commendat, ita ut in ſubſtantia ordinariò ʒß. & ad ſummum ʒj. in juſculo aut alio quovis vehiculo: In infuſo verò duplum concedat. *Hermannus* è contra adhuc minori quantitate contentus pro dyſentericis in pulv. raro ultra ℈j. propinat, niſi in robuſtioribus, ubi doſin ad ʒß. augeri jubet: In infuſo vero pariter ʒij. exhibebat: In febribus utrobique duplicando doſin. Hæc vero omnia in Ipecacuanha nigra flavaque ſolùm obſervanda, in alba enim non æque peccare poteris, utpote quæ adeò leniter operatur, ut gravidis etiam & infantibus eam propinare ſoleant, reliquas non æque. Quodſi verò & priores illis dare velis, lactantibus & nondum trimulis detur octava pars doſis, qui vero trimuli, decimum tamen ætatis annum nondum exceſſerunt, iis quarta pars ſatis erit: X. ſupergreſſis ſed nondum quindecennibus tertia: Ab anno XV. ad XX. dimidia. Quæ m. delicatis ſenibus & gravidis ſufficiet. Robuſtioribus à XX. ad LX. annum doſis ſolita, vid. *Helvetius pag. 17.*

CAP. IV.

DE FORMA MODOQUE EXHIBENDI.

§. I.

CÆterum ut in omnibus medicamentis draſticis & efficacioribus cautela opus eſt & circumſpectione, ita, non obſtantibus iis,

iis, quæ hactenus de miris remedii hujus utilitatibus & commodis dicta ſunt, nemini ſuaderem absque inſigni præmeditatione & conſilio prudentis Medici eo temerè abuti, cùm, ut reliquis omnibus vomitoriis commune, violento motu agat; hinc ante citatus *Helvetius* methodum utendi novo hoc remedio contra diarrhœas, dejectiones ſanguinolentas & dyſenteriam Lingua Gallica typis nuper expreſſit, ſuppreſſo tamen medicamenti nomine, quod nemini niſi unicæ Regiæ Majeſtati ſe aperuiſſe ſcribit: Quæ variis tamen vaniſque circumſtantiis & ambagibus eſt larvata, unde methodum hanc minus naturalem, ſed occultandi medicamenti causâ editam eſſe, ſincero animo & juſto dolore manifeſtavit Dn. *Grenerius, in animadverſionibus ſuis brevibus in methodum Helvetianam*, ubi quoque primam medicamenti hujus productionem ſibi vindicat.

§. II.

Primò ergo omnium ponderandum, an è re tum ægri, tum ipſius Medici ſit exhibere hoc remedium? Dantur enim caſus, ubi meritò ab eo abſtinere decet, ne remedio, novitate forte jamdum ſuſpecto, enecaſſe videamur eum, quem ſors aut natura occiderat. Fieri hoc poſſet in iis, quibus nimia mali diuturnitate delirium, ſingultus, vomitus cum tenſione dolorifica in infimo ventre dejectionibusque fæci vini aut loturæ carnium ſimilibus, cadaveroſi odoris, oborta ſunt, quæ cum certa indicia ſint gangrænæ, inteſtina corripientis, hinc fruſtra illos ſalutem ſperaturos cenſet citatus *Helvetius*, qui & Phthiſicos atrophia laborantes, Hydropicos eosque quibus inſignis jam corruptio in infimo ventre accidit, à numero ægrorum, hac arte ſanabilium, excipit, quoniam fluxus ventris his ſuperveniens caloris nativi extinctionem & propinquam mortem indicare, in praxi obſervatur. Itaque ab hoc remedio dilationem aliquam, morbi curationem verò neutiquam ſperare poterunt.

§. III.

Rebus autem & viſceribus adhuc integris feliciſſimè & cum

certa reconvaleſcentiæ ſpe adhiberi poterit, & quidem in ſubſtantia, quâ inſtar aliorum ſpecificorum, Chinæ Chinæ v. g. plus agit, quàm per varias & quandoque juſtó curioſiores præparationes; licet nullus dubitem è cortice (in quo ejus virtus ferè reſidet) reſinam aliquam, tincturam aliaque obtineri poſſe. Quamprimum ergò ad dyſentericum vocatus fuerit Medicus, ſtatim præſcribat ſequens:

Rec. *Rad. Ipecacuanh. præpar.* ℈j.

D. in ▽ *plantaginis*, aut *tormentillæ*.

Quodſi à prima doſi non ſiſtatur fluxus, alterô die manè ſecunda repetatur, & ſi opus, tertia quoque perendie; hac omnes curantur ægri, ſi alioquin malum adhuc ſanabile exiſtat. Poſt abſolutos vomitus, quos ciet, aut ſtomachicum aliquod, juxta methodum *Helvetii* & *Pometi* detur, quô ſtomachi & inteſtinorum tonus reſtituatur, aut ductu *Sydenhamii* paregoricum, quod propinatô mane vomitorio, tempore veſpertino dari jubet. *Helvetius* extollit Elixir ſuum ſtomachicum è ſantalo rubro, terra catechu & aromaticis paratum, cujus tamen loco ſimpliciſſimum panem toſtum cum vino Hiſpanico, poſt paſtum aſſumptum, laudat *Grenerius*. *Pomet* ſequentem potiunculam habet

Rec. ▽ *ſcab.*
card. bened. ana ℥iß.
conf. de hyacinth. ℥j.
⊖. *abſinth.*
C. C. præp.
corall. rubr. præp. ana ℈j.
Syr. fl. tunic. vel *abſinth.* ℥j. M.

Quandoque huic aut ſyr. papav. alb. aut laudanum opiatum felici cum ſucceſſu addit. Quòd autem vomitum, qui ex medicamento imminet, evitari & ſupprimi velit *Helvetius*, falsò (obſervante *Grenerio*) præcipitur, cùm vomitus effectus ſit remedii naturalis, ita quidem ut mali ominis ſit, ſi poſt aſſumtionem medicamenti hujus nec motus, nec anxietas, nec vomitus, nec ſedes, nec nauſea ſequan-

ſequantur, cum æger tunc utplurimùm pereat, quia Natura ejus ſuccumbit, ut non poſſit agere in medicamenta, nec medicamenta in ipſam, id quod & in aliis vomitoriis ♁tis obſervavit *Hermannus* in MSS.

§. IV.

Sin vero grave fuerit ægris in pulvere & ſubſtantia radicem hanc aſſumere, ut palato eorum aliquid demus, ſequenti modô infundi poterit:

Rec. *Rad. Ipecacuanhæ* ʒij. infunde vin. rubr. ſtent in loco calido per noct. mane col. exhibe.

Dum verò plane reſpuunt & ore haurire prorſus nequeunt, in forma clyſteris quoque applicari poterit, ut in Gallia fieri ſolet, hac ratione,

Rec. *Rad. Ipecacuanhæ* ℥ß.
vel ʒiij.
tere in pulv. M. *c. Decoctô* & injice tepidè.

CAP. IV.

DE SUCCEDANEIS IPECACUANHÆ & DIÆTA SUB CURA OBSERVANDA.

§. I.

QUid tandem, ſi, vel ob defectum, vel nimium Ipecacuanhæ pretium, hæc medendi methodus in cura Dyſenteriæ adhiberi nequeat? Annon è domeſticis noſtriſque in terris creſcentibus ſimplicibus illi quædam ſurrogari poterunt? Sane ſi vim ejus ſpecificam conſideres, vix ac ne vix quidem de ſimili ſuccedaneo cogitare licet. Neque triplex illa facultas, emetica ſcil. adſtringens & bezoardica, in uno eodemque ſimplici facilè occurret. Nihil tamen impedit, quò minus in effectu haud abſimile compoſitum illi ſubſtituamus, quod facili operâ obtinebis, ſi radici tormentillæ, quæ & adſtringit & bezoardica eſt, vomitorium aliquod maritemus, ſequenti modo:

Rec. *Rad. torment.* ℥ß.
Tartar. emet. gr. ij.
ther. cæleſt. gr. ij. M. D.
pro doſi.

Cum enim potiſſimus Ipecacuanhæ effectus ſit, ſaburram morboſam per vomitum excludere, nullus dubito, quin aliud emeticum ſimilem edat effectum, dummodò tempore legitimô adhibeatur.

§. II.

Jam quæſtio ſuboritur, an in Dyſenteria quoque conveniant emetica vulgaria? Si Scriptores Practicos eorumque Syſtemata inſpicias, videtur, quod non: Pauci enim vomitoriorum in hoc morbo curando mentionem faciunt. Verùm ſi ullibi, ſane hîc locum invenire exiſtimo querelam Celeberr. Dn. *Ludovici*, qui plures ex intermiſſione emeticorum interire credit, quam ex illorum uſu. Vomitum autem in Diarrhoeis & Dyſenteriis ſummoperè conducere, ex *Aphor. 15. ſect. 5. Hippocratis* apparet, in quo non tantùm vomitum ſponte ſupervenientem, ſed & arte concitatum comprehendi, *Guil. Piſo* non ſine cauſa ſtatuit. Imo ipſa Experientia hujus ſubſcribit judicio, cùm Feliciſſimus *Sydenham*, Anglorum quondam Machaon, in fluxibus alvi ſymptomaticis, ſub curſu febrium ſupervenientibus, vomitoria cum euphoria inſigni dederit & ipſimet omnibus aliis irritis ſolo Tartari emetici uſu Dyſentericum reſtituerimus, ut ex obſ. *Ann. 2. Dec. 2. Miſcell. Acad. Germ. Curioſ.* inſerta apparet. Quid quod & Ratio id ſuadeat, quùm ſaburra illa dyſenterica in confiniis ventriculi ſi non generetur, ad minimum ſegregetur, unde nauſea eaque ſalutaris, cùm teſte ſæpius allegato *Pometo*, in *Appendice operis ſui*, nulli unquam, quibus poſt aſſumtionem medicamenti nauſea moleſta non fuit, reconvaluerint. Id quod fidem ipſi facit, ventriculum non tantùm hoc in morbo à ſaburrâ peregrinâ obrutum eſſe, ſed & M. S. per glandulas, eundem non minus, quam totum tractum, qui primarum viarum nomine venit, inveſtientes, ſeroſitates quampluri-mas deponere, quæ ſalia heterogenea & inæqualia, morbum hunc-

ce pro-

ce producentia eò devehunt; hæc vero ſi eò non deturbentur, ſed in M. S. reſtitent, alios morbos quandoque graviores inducere valent.

§. III.

Quodſi autem nonnulla ſint, quæ vomitum aut diſſuadeant, aut planè prohibeant, methodo hactenus receptæ inſiſtere & in Dyſenteria benigna Rhabarbarum, toſtum prius, abhinc appropriata ſimul & ánodyna: In Maligna vero Bezoardica ſtatim & more Recentioribus recepto opiata propinare poterimus, quò miaſma illud Dyſentericum, quod per vomitum excludi non poterat, aliorſum reducatur, & antequam ad inteſtina præcipitetur, per poros cutis exterminetur. Hunc in finem Illuſtris *Wedelius*, Tincturam bezoard. cum Eſſ. anodyna ſtatim exhibet, quâ ſola innumeros dyſentericos ſe conſervaſſe teſtatur in ſua *Opiologiâ*. Non minus præſentaneam olim expertus ſum theriacam *Ludovici* aliquantulum camphoratam ac opiatis junctam.

§. IV.

Quamcunque tandem methodum quis ſibi eligat in hocce morbo domando, nunquam tamen non DIÆTAM ſimul convenientem & ſtrictam imperet neceſſe eſt; ſine quâ remedium hoc nullius eſſe valoris Illuſtris *Obrechtus* nuper Amico cuidam aperuit. Tenuis itaque & parca, ut in omnibus acutis, ita hic quoque locum habet; corpora ſiquidem impura quò magis nutriveris, eò magis læſeris *aph. 10. Sect. 2.* Nocent ſummoperè acida, ſalita, acria. Proſunt ſucculenta & mucilaginoſa. In potu ſumatur Ptiſana, aut Decoct. Thee, aut ſimile; fugiatur frigidus cane pejus ac angue. Nec frequenter nimis bibendum, ne ſtomachi tonus relaxetur: Sufficit gargariſmis os eluere, ſi quando calor & ſitis urgeat, vel alio modo ipſam fallere; fugiatur aer ſtacidus & frigidus. Animus componatur ad tranquillitatem, ne affectibus vehementioribus rapiatur in diverſum, qui ſanguinem jamdum in mixtura ſua turbatum magis commovere Archæumque in furorem agere poſſent.

TANTUM.

DISPUTATIO III.
DE
LAPIDE PORCINO,
vulgo
PEDRA DEL PORCO.
INTROITUS.

Diffluat in laudes Tuas Univerſum, O TER SANCTA TRIAS! nomenque Jehovæ cantent omnes Creaturæ. Quis enim ſicuti Dominus? aufert ſanitatem & reſtituit eam: Percutit & ſanat: Vulnerat & deligat! Quantô, ah quantô! Dominus amore proſequitur mortales! Petra ſis, Philiater, nî inexhauſtam & imperſcrutabilem Divinæ bonitatis abyſſum cum ſtupore venereris, unde tot indies in Forum Medicum theſauri profluunt, ut certa me ſpes teneat, complures contumaciſſimos affectus propediem certis & infallibilibus ceſſuros eſſe mediis. De Univerſalibus ſanè Morbis, (Febres intelligo) res ferè acta videtur, cùm Intermittentium paroxyſmos ita nunc in numeratô habeamus, ut, quacunque velis, horâ, eosdem per DEI gratiam aut cicurare, aut omninò profligare valeamus. De Continuis & in ſpecie Malignis, vulgò ita dictis, ſaltem quis dubius hærere poſſet, utpote quæ, non obſtantibus remediis generoſiſſimis, ægrorum præcordia non minus, ac Medicorum animos, anxietate perfundunt indicibili. Verum & his tandem inventus eſt cuneus, & quidem in eô, unde nihil minus expectabatur, ſubjecto, HISTRICE ſc. ſpinis formidabili, quæ lapidem ſubminiſtrat, in Febribus non tantùm intermittentibus, ſed & malignis, Cholerâ, Colicâ, Ictero aliisque morbis edomandis incomparabilem.

rabilem. Iniquum prorſus & inexcuſabile eſſet, Curioſe Lector, ſi admirandi Lapidis hujus, in Germaniâ noſtra ferè prorſus adhuc incogniti, virtutes Publico ulterius ſive reticere, ſive invidere velimus; quin propalanda ſunt DEI & Naturæ beneficia: Sublevanda eſt Proximi, ſub Morbonæ injuriis gementis, indigentia, cui ſi vel minimum levaminis attulerint labores noſtri, lucri fœnerisque loco habebimus opulentiſſimi.

CAP. I.

DE MATRICE LAPIDIS PORCINI, DESCRIPTIONE EJUS ET DIFFERENTIIS.

§. I.

LIcet ſpurcum & omninò fœtidum in regnô Naturæ animali ſit porcinum genus, adeò quidem, ut vivô quodam emblemate typoque morali, ad evitandam immunditiem, ejus carne DEUS filiis Iſrael olim interdixerit, conf. *D. D. Majus in Hiſt. Anim. lib. 2. cap. 9. p. 593.* nihilo tamen minus in eô ſæpe reperias, quæ & jucunditate & utilitate ſuâ nullis in hoc Orbe deliciis videntur cedere. Non dicam heîc de SUE LANIFERA, præterlapſis ultimò nundinis autumnalibus à Lanionibus Francofurtenſibus (inconſideratè ſanè) mactatâ, quæ lanâ cingebatur, Hiſpanicam, imò ſericum ferè ſuperante, cujus portiunculam ex communicatione Amici cujusdam Francofurtenſis inter rariora mea adhuc ſervo: Glandulas ſaltem moſchatas hîc adferre liceat, quas unusquisque in porcellorum aſſatorum (vulgò Spanferckeln) oculis obſervare poterit, quæ dentibus comminutæ ſaporem & odorem moſchi tam exactè referunt, ut galliam moſchatam quis ori inſinuaſſe videri poſ-

ri poſſet; quæ omnia tamen ſi cum *lapide porcino*, ſeu rectius *HISTRICINO*, diebus noſtris ex Indiis allatô, conferantur, nivis radiis ſolaribus expoſiti inſtar evaneſcunt. Tot enim hic virtutibus & qualitatibus inſignitus eſt, ut non immeritò auro contra pretioſior æſtimetur, adeoque & noſtram modò conſiderationem præ aliis mereri videatur.

§. II.


A fronte autem non immeritò quis dubitare poſſet, an lapillus hic rectè *lapis porcinus*, Luſitanis *piedra del puerco*: Vulgo Mercatorum *pedra porcas*, *pedra de porcas*, *pedra del porco*, &c. audiat, cùm omnium conſenſu non tam è ſuibus & porcis, quàm hiſtrice, erinaceis mage ſimili, petatur. Aſt præterquam quòd verba non aliter ac nummi valeant, in eô ſalva adhuc manebit denotatio, quod hiſtrix à nonnullis etiam *Porcus Spinoſus*, ein Stachel-Schwein / ſeu ut alii loquuntur, *porcus marinus & PARCAPY* vocitetur, non quod aut marinum, aut amphibium ſit animal, ſed eâ ratione, quâ vulgus mediterraneum & à regionibus maritimis remotum incognita quævis & exotica marina vocare ſolet, ut non ſine causâ judicat *Geſnerus Lib. 1. de Quadrup. Hiſt. pag. 633.*

§. III.

Illud verò omninò inſolens & tantùm non ridiculum videtur eſſe, quod animal hoc à Circumforaneis & Thraſonibus vulgò pro avi quadam obtrudatur, quam *Taran* aut *Seydan* vocant, prout hoc nomine Francofurti me hiſtricem penes Batavum quendam, Leonem circumducentem, vidiſſe recordor, qui Schedulæ Typis impreſſæ ſeqq. de eâ jactabat: Hierbey iſt auch noch zuſehen der Vogel Seydan / welcher iſt ein halber Vogel und ein halbes Schwein: Es hat wunderliche Federn / da die wilde Menſchen krieg mit führen 2c. Neque enim vel minimum quid cum avibus commune habet, niſi quod cauda atque ſpinæ calamis anſerinis quodammodo ſimiles ſint, quas, ut caudam Pavones, rotare & elevare valet. Unde magis adhuc errant, qui in *quadrupedum*



TAB: II.



pedum hiſtoriâ, olim *Germanicè edita*, ſpinoſum porcum piſcem marinum eſſe finxêre, niſi fortè oſtracodermum, quod Echinum marinum vocant, intellexerint, quòd, cùm hujus loci non ſit, vid. in *Buonanni Ricreat: dell' occhio e della mente part. 2. n. 18. p. 179.*

§. IV.

Ipſam verò HISTRICEM, Petram Porcinam nobis ſuppeditantem, quod concernit, è quadrupedum genere animal eſt Indiæ Orientalis, porci bimeſtris magnitudine, ore cuniculo haud abſimile, auribus hominem, pedibus anterioribus taxum, poſterioribus verò urſum æmulans, jubâ in ſuperiori capitis parte erectâ ſuperbiens, in reliquâ verò corporis ſuperficie ſpinas duorum triumve palmorum gerens, verſicolores & articulatim mox albicantes, mox ex fuſco nigricantes, quas irâ percitum cum raucô quodam murmure in adverſarium inſurgens erigit & tanquam ſariſſas projicit, eâ ferè, quàm in *Tab. ænea* II. ſpectas, facie. His canes & inſequentes feras inſigniter ferire aut vulnerare valet, adeò quidem, ut Leones etiam interficere dicatur, quod Agyrta quidam, Hiſtricem lucri gratiâ Lugduni Batavorum olim circumducens aſſerebat, qui figuræ ejus, ligno inciſæ, (quam adhuc ſervo) ſequentem inſcriptionem addiderat: Deſe levende PARKAPY die heeft een Leeuvv om't hals gebracht, aen de cap dè bon eſperance, door de kracht van ſyn pennen, ende hy is tegenvvordigh te ſien alhier tot Leyden. Aſt in lubricô ſæpè verſatur fides horum Thraſonum, qui ex muſcâ facilè elephantum efficiunt. Hoc tamen certum, non ſpinis tantùm, ſed & dentibus acutisſimis æquè ac prolixisſimis inſignes illud ictus infligere poſſe, quos, ut & alias bruti hujus partes, ob oculos ponit *Ulyſſes Aldrovandus in Paralipom. omnium Animal. Tit. de Hiſtricibus pag. 147.* Confer. TAB. II.

§. V.

Cæterùm in quanam bruti hujus parte decantatus ille Lapis Porcinus generetur? quærat mens veritatis avida. Equidem in veſicâ felleâ eundem reperiri, plurimi, ſi non omnes, hactenus

nus aſſeruerant. Eſt tamen quidam *Reverhorſt*, Belga, qui in *Diſſertat. Anatomico - Medicâ, de Motu Bilis circulari ejusque morbis* §. 57. *pag.* 48. id in dubium vocat, dum, non facilè (inquit) adducor, ut credam *petram del porco* ex Veſicâ felleâ Aprinâ oriri, utpote qui in aquam projectus minimè eidem ſupernatat, ſed fundum petit. Jam verò pro certisſimô quôdam indiciô, an lapides quidam in veſicula felleâ generati ſint, eorum in aqua ſupernatationem habuerat & præmiſerat. Deinde notum quoque eſt reliquos lapides medicatos in brutis ferè omnes in ventriculo eorum reperiri, ut non tantùm Lapides Bezoar vulgo dicti, ſed & haud abſimiles ad oculum teſtantur. Sic in Equorum ſtomachis lapides reperiuntur Bezoar Orientali tam æquales, ut ovum ovo, quibus ſi non majores, æquales tamen vires adſcribit Magnif. *Dn. Schroeckius Miſcell. Academ. Natur. Cur. Dec. I. An. IV. & V. obſerv. 203. pag. 221.* Hippolithum ejusmodi 90. Lothonum Colonienſium aliumque minorem 45½ lothonum *Elias Brackenhoffe-rus*, Vir Conſularis Argentinenſis, olim posſidebat, conf. *Muſæum Brackenhofferianum*, à Bockenhoffero edit. *pag. 13.* Similem è Cervo, pugni majoris magnitudine, ſed cineritii coloris, nuper videre licuit: Alium è muli ventriculo, reticulo fibroſo circumdatum, quondam me vidiſſe recordor, qui omnes haud aliter ac Bezoartici lapides è lamellis ſibi invicem impoſitis & accretis ſunt conflati. Probabile igitur videtur eſſe, & lapidem porcinum in ſtomacho magis, quàm felleô folliculô generari. Aſt aliud docet manifeſta illa amarities, quàm & ipſe lapis & infuſio ejus præ ſe ferunt, quæ eundem è bile, quocunque demum modo, coagulatâ & cum aliis particulis volatilibus in calculum induratâ, generatum eſſe adſtruit. Neque enim proba illa, quâ, an calculi revera ex veſiculâ fellea prognati ſint, inquirit *Reverhorſtius*, perpetua videtur eſſe, cùm mihi ad manus ſit calculus, è fellea veſiculâ Mulieris cujusdam Offenbachii Anno 1656. extractus & à B. Dn. *Sebaſtiano Scheffero* in *Ephem. Germanorum Curioſis Dec. 1. Anno 4. in Analectis ad An-*

num 3. *pag.* 284. in fig. ænea depictus & deſcriptus, qui pariter aquæ non innatat. Econtra maſſæ hujusmodi in aliis viſceribus generantur, quæ aqua innatant, ut Ægagropilæ ad oculum oſtendunt. Ut taceam duplicem reperiri lapidem porcinum, Verum & ſpongioſum, qui aquæ ſemper ſupernatat, & Spurium graviorem, qualem Francofurti haud ita pridem, penes *Dn. Vitum* Haſſum, ex India Orientali nuper reducem, obſervare licuit, in quem fortè incidit Auctor ſupra laudatus.

§. VI.

Vera E. Petra Porcina eſt Lapis ſpongioſus in veſicâ felleâ generatus, carnei vel potius parenchymati hepatis haut abſimilis coloris, ſaporis amarisſimi, tactui lubricus, ſaponis inſtar, occurrens, licet quaſi ſquamatus, ſeu potius foveolis quibusdam, inſtar veſtigiorum à variolis relictorum, præditus. Hic veſiculâ quadam ſeu tunicâ exteriori, dum primum ex Indiâ & in ſpecie ex Pam Regni Malacenſis adfertur, (unde & *Lapis Malacenſis* audit *Aldrovando loc. cit.* & in *Muſæo Metallico* rarisſimo *l.* 4. *p.* 198.) eſt obductus, quæ nihil aliud eſt, quam folium tenuisſimum, glutine quodam artificioſisſimè adhærens, quod infuſione aut maceratione, in aqua ſimplici aut alia deſtillata calefacta, diſſolvitur & ab eô ſeparatur, ſicut id curioſè adhuc ſibi ſervat *Dn. Deckerus*, Practicus Lugdunenſis, qui non ſine fœnore eô quotidie utitur; pro unicâ enim ejus infuſione duo nummi unciales ſunt ſolvendi, ut Mercator quidam in literis *die* 28. *Martii Anno* 98. è Batavia ad *Dn. Scipionem*, Pharmacopœum Giſſenſem, datis refert, quæ in vernaculâ ita ſe habent: Petra Porcas iſt ein ſpongioſer Stein/wird in wenigen Oſt-Jndianiſchen Schweinen gefunden: Sind von gröſſe als eine dicke Nuß; in Gold laſſen ſie hieſige Droquiſten faſſen / vor jede 24 Stund auszulehnen nehmen ſie ein Ducat: wird von Großen Kauffleuten gebraucht.

CAP. II.

DE QUALITATIBUS LAPIDIS PORCINI.

§. I.

IN verbis, herbis & lapidibus magnam latere vim, peculiari hujus Tituli tractatione oſtendere ſatagit *Helmontius*; quod ultimum licet in gemmis & lapidibus pretioſis ſæpè fallat, in lapidibus tamen animalibus idem non eſſe de nihilô, ratio docet & experientia, ſive jam in ventriculo & inteſtinis brutorum generentur, ut Ægagropilæ, lapides Bezoar in Capri-Cerva bezoartica, Cervis, Equis, Mulis: ſive in capite, ut Lapis Manati, de quo *Hernandez de reb. Med. Nov. Hiſp. pag.* 323. Sive in renibus & veſica, tam urinariâ, quàm felleâ, ut calculi humani, bovini & lapis porcinus, perinde eſt, cùm utrobique particulæ quædam ſalino-volatiles illis intricentur, pro quarum varia textura, vis illorum quodammodo variat, licet in facultate Diaphoretica plerumque convenire videantur.

§. II.

Tali enim vi *DIAPHORETICO-BEZOARDICA* quoque gaudere lapidem porcinum, primus ferè expertus eſt quidam *Dimas bosque Valentinus*, ut ex relatione Bontii refert *Anſelmus Boëtius de Boot*, in *Hiſt. lap. & gemm. lib. 2. cap. 82. pag. 356.* & cùm in India ejusmodi alexipharmacô ob plura venena indigeant, hinc citato modò *Valentino* multum debere Medicos Indicos idem exiſtimat *cap. 1.* Propriâ autem experientiâ fretus hoc confirmat antea allegatus *Fred. Dekerus*, qui eundem cum lapide bezoar tam nativô, quàm factitiô, ex Goa allato, refert ad medicamenta diaphoretica, in *Exercitat. Pract. circa method. medendi pag. 466. Edit. noviſſ.* cùm ſudores quam maximè & ſummo cum levamine provocet *ibid.* Imò Indi lapidem hunc cæteris alexipharmacis

præ-

præferunt, teſte *Aldrovando l. c. pag. 147.* Abhinc & calidum nativum conſervare, viſcera roborare, humores crudos in toto corpore conſumere; nimiam pinguedinem cohibere, ab Apoplexia & Epilepſia præſervare, materiam calculi ſine dolore diſſolvere & arthritidem curare, è *Jacobo Bontio, Fragoſa, Tulpio* & aliis adſtruit *Frid. Hoffmannus* in *Clavi Schrœderianâ Tit. de SUE pag. 688.* ſpecificè autem Choleram (quam Indi Mordexin vocant & ut peſtem verentur) curare dicitur à *Bontio, Garcia* & *Bootio:* Sicut in ictero calculoſo laudatur à D. *Albrechto* Jun. *in Diſp. de Ict. ex calc. veſ. fell. §. 7.*

§. III.

Hoc verò reticendum non erat & alvum ſimul movere haud infrequenter lapidem porcinum, idque cum euphoria, unde commodè tutòque ſubſtitui poterit diaphoretico-laxantibus, aut emetico-diaphoreticis, ex ♁ à nonnullis præparatis & tantoperè celebratis, eoque magis, quod ob particulas oleoſas ſimul blanda vi anodyna imprægnatus ſit, quâ moleſtiſſimas æque ac periculoſiſſimas præcordiorum anxietates in febribus acutis, præcipuè malignis, ſi quid aliud, refrænare valet.

§. IV.

An & emmenagogis adſcribendus ſit, experientiâ ulteriori facilè periclitari poterimus. De fœminis interim Malacenſibus dicitur, quod ſi menſtrua illarum purgatio Naturæ minus obſequatur, ſtatim adjuventur, ſi tantùm manibus contineant lapidem porcinum. Hinc ob metum abortûs lapidem hunc prægnantibus exhibere ſubveretur *Dn. Frid. Hoffmannus in Clavi Schrœd. l. c.*

§. V.

Omnes autem illæ qualitates lapidis porcini dubio procul adſcribendæ ſunt particulis, quibus gaudet, tenuibus, calidis & ſalino-volatilibus, quas aut à ∽ urin. (cui ex utero ſuo in fellis vicinum cruorem elapſo & bilem inſtar offæ ex ∽ ⊖ ✱ & ſpir. vin. rectificatiſſ. coagulanti, ex mente *Helmontii*, generationem lapidum horum adſcribit *Grembſius* in *Arb. Hom. R. l. 1. c. 7. ſect. 3. §. 9.*)

aut ab herbâ quadam aromaticâ, quam loca altiora conſcendens hiſtrix devorare dicitur ab *Hoffmanno;* aut, quod probabilius, à ⊖. vol. acriore bilis, in qua generatur, obtinet, cui multum in acceptis ferre lapidem, manifeſtiſſima ejus amarities evincit. Quemadmodum E. fellea quævis multum ⊖ & alcalini vol. fundunt, ut *B. Tackii* in *Chryſog. animal. & min. p.* 29. & Celeb. *Drelincurtii* in *Colleg. Anatom. Mſc.* deſcriptis experimentis conſtat, particulisque ſuis ⊖nis & acutis etiam in clyſteribus inteſtina ſtimulant: Ita harum intuitu alvum quandoque laxare: Illarum verò ope diaphoreſin movere, viſcera roborare, calidum, quod dicitur, nativum confortare cæteraque illis attributa expedire vero admodum ſimile eſt. Penetrantiſſimum enim in lapide noſtro eſſe ⊖ vol. non ſaltem inde conſtat, quod aquæ ſive ſimplici ſive deſtill. infuſus vim ſuam menſtruo ſtatim communicet, ſed & ex eo, quòd, ut nuper aliquis ex Indiâ recens advectus aſſeverabat, in volâ manus tamdiu, donec incaluerit, detentus, amaritiem ejus in dorsô manus guſtare liceat.

CAP. III.

DE PRETIO, PRÆPARATIONE, DOSI ET APPLICATIONE LAPIDIS PORCINI IN VARIIS C. H. AFFECTIBUS.

§. I.

UT omne ratum carum, ita non tantùm ob virtutem, ſed & raritatem lapidis hujus & Europæis & Indis ſummo in pretio habetur. Hinc è duobus, qui ſuô tempore reperti fuerunt, alterum pro ſummô munere ad eum, qui pro Rege Luſitaniæ Indiam gubernabat, miſſum fuiſſe, *Garcias* teſtatur *lib. I. Arom. & ſimpl.*

cap.

cap. 46. p. 167. & ex eô *Ulyſſ. Aldrov. c. l. p. 147.* Societas Belgarum Indica quoque ſingulis annis vix unum aut alterum inde obtinet, qui ab ipſa Societate 135. ad 275. Floren. à Drogiſtis verò à 400. ad 600. Florenis Hollandicis divendi ſolet, ut tum è ſchedulis pretium deſignantibus, vulgò *le Prix Courant*, tum è literis Mercatorum mihi certò conſtat. Unde fieri ſolet, ut ob nimium pretium rariſſimè vel nunquam in ſubſtantiâ, ſed potius in infuſo tantùm detur lapis, licet in pulvere magnarum quoque virium ſit in febribus malignis propulſandis, ſi tantùm ad gr. v. vel vi. ditioribus propinetur, quibus hac ferè ratione poterit offerri:

Recip. *Lapid. porcini*
gr. vj.
Cinnab. nat. præp.
C. C. Philoſ. calcinat.
ana gr. v.
M. F. *Pulv.* ſubtiliſſimus, in ▽. *cent. min.* aut *rub. idæi* propinandus.

§. II.

INFUSIO verò vel cum Malvatico, vel aquâ quadam deſtillatâ, quæcunque demum fuerit, paratur, ▽. v. g. card. bened. cent. minor. &c. cujus unciis duabus Pedra del porco per unius aut alterius quoque horæ ſpatium infunditur, prout ▽. citius aut tardius amareſcit. Hæc Tinctura, ſeu rectius infuſio (cum aqua non tingatur) prorſus amaricans ægris propinatur in febribus omnis generis, cumprimis malignis, aphthis, anxietatibus cordis aliisque ſymptomatibus funeſtis ſtipatis, variolis item & morbillis, ita quidem, ut omnibus aliis, etiam probatiſſimis bezoardicis irritis, tandem ad lapidem hunc, tanquam ad ſacram anchoram & quidem felici utplurimùm eventu confugiatur, ut è ſequentibus, à Celeb. *Deckero* ſuppeditatis, caſibus videre eſt, utpote cui frequentem lapidis hujus (quem ſolus inter Medicos Lugdunenſes Batavorum poſſidet) adhibitionem in frequenti & felici uſu

eſſe,

eſſe, ex Amici cujusdam relatione æquè ac Exercitationibus ejus conſtat,

§. III.

Hujus ergò experientiâ conſtat Mulierem XXX. annorum poſt quartanam diuturnam, tam ſimplicem, quàm duplicem, in *QUOTIDIANAM CONTINUAM*, cum ſummâ virium proſtratione, anxietatibus cordis & aphthis illapſam, nullis omninò juvantibus, exhibita tribus ante paroxyſmum, ſeu potius febris exacerbationem, horis infuſione Pedra del porco, mox optimè ſudaſſe, alvum bis depoſuiſſe & bene dormiviſſe, ſine ulteriori febris exacerbatione: Iterata verò exhibitione febrim & aphthas ſimul omninò evanuiſſe, *vid. Exerc. Pract. p. 262.* Similiter in *FEBRI TERTIANA CONTINUA*, iisdem ſymptomatibus ſtipata, omnibus aliis irritis infuſionem lapidis porcini dedit, unde ſummo cum levamine intra horam ſudavit æger, ac poſt ſudores alvum exoneravit, hinc ter eodem effectu repetito remedio penitus curatus fuit *ibid. p. 543.* In *FEBRI CONTINUA PUERPERÆ*, cum præcordiorum anxietate & compreſſione cordis, quoque contulit *ibid. pag. 668.* In *FEBRI EPIDEMICA* cum ſudore frigido, extremorum frigore & convulſione agonizantium (de quibus omnes deſperabant) una vel altera infuſio lapidis quaſi manus DEI fuit *ibid. p. 552.* In anxietate c. nauſeâ, vomitu & ſubitaneo totius rubore eadem ſtatim contulit, *ib. p 557.* In *FEBRI MALIGNA PETECHIALI* cum pruritu totius corporis (omnibus in caſſum exhibitis) Pedra del porco intra horæ ſpatium ſudorem promovit cum levamine: Veſperi æger bis alvum depoſuit: Eadem doſi exhibita placidè dormivit, maculæ cum febri evanuêre & æger convaluit *cit. lib. pag. 591.* *FEBRES* autem *INTERMITTENTES* absque metu recidivæ certò curat. *idem.*

§. IV.

Ne verò ſolâ *Deckeri* Praxi ſive niti ſive eniti videamur, en! alium ſubjungo Practicum fide pariter digniſſimum, Illuſtrem ſc.

Dn.

Dn. *Carolum Raygerum*, Archiatrum Cæſarcum, qui in *Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Dec. 1. Anno 3. Obſ. 283.* contigit, inquit, mihi primò videre lapidem porcinum in Muſæo Illuſtris Medici & Eq. *Cervini*, Romæ, qui in ſe uſum ejus probavit. Certè ſoror mea (pergit idem) Viennæ, poſt obitum Maritum, A. 1662. Febri Malignâ laborans & ab omnibus Medicis pro deplorata habita, bibens de infuſione lapidis hujus, (quem à DUCE Guilielmo Leopoldo dono acceperat *D. Mannageta*) in aqua ſimplici factâ, brevî fuit reſtituta. Accidit fortè, ut quidam Domeſticus febri tertianâ detentus reſiduum, quod illa reliquerat, ſumſerit & blandô excitatô ſudore ab illa liberatus etiam convaluerit. Hactenus D *Raygerus*.

CAP. IV.

DE SUCCEDANEIS LAPIDIS PORCINI.

§. I.

CÆterum analogia illa, quæ Lapidi Hiſtricino cum aliis, in veſicula viventium felleâ genitis, calculis intercedit, in tantâ ejus & caritate & raritate, Medicis nonnullis anſam dedit, ut in parallela quædam & ſuccedanea inquirerent, è quibus modò laudatus Medicus Cæſareus, D. *Carolus Raygerus*, calculum in veſicula fellea humanâ genitum, ſi non easdem, tamen pariles vires habere ſuſpicatur, dum in *Miſcellan. Acad. Germ. Curioſis, Dec. 1. Ann. 3. Obſerv. 283.* de ejusmodi calculo à ſe obſervato ita commentatur: Hæc (ſcil. formæ raritas) obſtitit, quò minus fregerim & an eandem vim, quæ Lapidi Porcino, qui in felle porci, aut ventriculô Hiſtricum in Indiâ reperitur & Luſitanis Piedra del Puerco dicitur, in profligandis febribus tribuitur, habeat, obſervare potuerim. Lapides enim (addit) in cavitatibus brutorum uſui eſſe, humanos verò illis deſtitui, mihi cum *Jac. Bontio* vix

credibile. Aſt licet extra dubium ſit lapides conſimiles in veſicula humana felleâ ſubinde reperiri,& quidem diverſicolores multiplicesque, citrinos ſcil. nigros, atque rubeos, teſte *Cæc. Folio* apud *Th. Barthol. Epiſt. Med. Cent. 1. Epiſt. 62. pag. 255.* ut non tantùm exempla quamplurima recenſentur in *Miſcellan. Acad. Cæſareo-Leoplod. Curioſis Dec. 1. Ann. 1. Obſerv. pag. 117. & 353. it. Dec. 1. An. 3. pag. 560.* 181. 430. *& Dec.* 1. *An. 4. & 5. pag.* 16. *Tack.* in *Chryſog. pag. 30.* ad oculum verò depinguntur ab *Aldrovando* in *Muſæo Metallico pag. 784.* ſed & hîc locorum in folliculo bilario infanticidæ, V. vel VI. abhinc annis publicè diſſectæ, tales piſi magnitudine obſervati ſunt,quos adhuc in Muſæo noſtro curioſô cuivis oſtendere poterimus: quemadmodum & in cadavere Chriſtiani Secundi, Regis Daniæ, tales lapillos rubros in veſiculâ felleâ repertos eſſe ferunt, quos vinis generoſis, imprimis Malvatico, quô in carcere Regio utebatur, adſcribit *Th. Barthol. Epiſt. 87. Cent. 3:* Licet etiam non negemus egregias & fortè nondum exploratas ſatis vires illîc reconditas eſſe, cùm & Ludo Paracelſi, ſeu calculo renum & veſicæ (magis adhuc frequenti) plurimùm attribuat *Helmontius*: vix tamen aſſerere auſim eosdem ſimiles cum lapide porcino effectus exſerere, cùm nec ipſi calculi, neque infuſio eorum, à me nuper tentaminis ergò inſtituta, talem, qualem petra porci ſuggerit, amaritiem præ ſe ferant, neque tot particulis volatilibus & quidem extraverſis ſcateant, ut præſentaneam illam in malignis utilitatem inde ſperare posſimus.

§. II.

Paulò propius ad lapidem noſtrum Malacenſem accedunt calculi in veſiculâ fellea Boum ſæpè inveniendi, qui colore, pondere & ſapore ab eo non multùm abludunt. Hos enim alios natales habere, quàm calculum humanum, aſſerit *Helmontius de Lithiaſi cap. 8. §. 28.* anomaloque modo produci ab excrementis ipſis (potius alimentis,) non per modum aliis infirmitatibus conſuetum, credit. Tales in Bove plerumque cicerum forma & magnitudine reperiri, B. D. *Joh. Dan. Major* in *Anat. Chilon.*

fol.

fol. 9. obſervat. Majores tamen ad manus noſtras devenerunt ex Muſæo Beat. & Deſideratisſimi *D. Schefferi*, Archiatri Francofurtenſis; ſicut *B.D. Volgnadius* aliquem ovi gallinacei magnitudine, pondere ℥vj. *D. Sachſius à Levvenheim* verò alium ℥ij. ʒij. pondere habuiſſe legitur in *Miſcellan. Germ. Cur. Ann.* 1. *in Schol. ad Obſ. XLIV. p.* 118. Cui parum cedit is, quem nuper admodum Francofurti obtinuit *Dn. L. Spenerus*, Commilito Suavisſimus & in colligendis hujusmodi Naturæ theſauris Curioſisſimus. Frequentisſimos autem in Saxonia vidit *D. Roſinus Lentilius* in *Parallelismo ad Obſerv. in A.* 1. *Dec.* 1. *annex. Miſcell. Nat. Dec.* 2. *An. X. in App. pag.* 51. Tales à *Sylvatico* Maſatios, ab aliis verò Acherones vocari teſtatur *Aldrovandus* in *Muſæo Metallico pag.* 792. 794. Hinc eodem teſte *Bellonius* narrat, apud Turcas, jugulato Bove & ablatis interaneis, fel diligenter obſervari, num habeat lapidem, quem Arabes Hazacri nominant, cujus vires ab *Avicenna* peculiari capite recenſentur, licet non in omni felle bovis, ſed vix in decimô quoque reperiatur. Addit majoris adhuc fieri & æſtimari lapidem hunc à Judæis, in Regionibus illis verſantibus, quàm à Turcis, cum hi Judæis ſaniores ſint, qui plerumque malo corporis colore ſint præditi & regio morbo obnoxii, in quô nullum præſentius remedium, quam hunc lapidem inveniunt. Hinc & Lanionem quendam, haud procul Lipſiâ, ejus pollinem JCtericis vendidiſſe & ejus ſe admirandos effectus ex ℈j. in vino propinatô conſpexiſſe, ceſſante mox Ictero, teſtatur *Lentilius loc. cit. pag.* 51. Idem experimentis binis confirmat ante citatus D. *Raygerus Dec.* 1. *Ann.* 3. *pag.* 430. & quidem ex MSS. obſervavationibus Dn. D. *Spindleri*, Practici quondam Poſonienſis, poſt Ratisponenſis Felicisſimi. Scil. caupo quidam Poſonii ad Aquilam Nigram Icteritius per lapidis hujus c. ſal. abſinth. & cent. min. (quibus ſolis antea diu, ſed ſine fructu uſus) inſigniter adjutus, poſt accepto unô vel altero laxativô prorſus curatus fuit. Mater verò laudati Doctoris Ictero pertinaci, ad nigredinem declinante, laborans, à ſolius vini, in quo calculus hic

infuſus & liquefactus, potu, urinâ craſsâ & propè nigra, copiosè excreta, quoque fuit curata. Specificè autem convenire in ictero calculosô probabile eſſe probat *Dn. Albrecht* in *Diſſert. de ict. ex calculis;* unde mirari ſubit, cur nobilisſimum hoc remedii genus in Aulis Magnatum & Emporiis Germaniæ Nobilioribus, in quibus indies Boves ſaginati (quorum calculi renales & veſicales aureô ſæpe colore micant, quos cuilibet ob oculos poſiturus ſum) culinarum holocauſta conſtituunt, inſuper fuerit habitum, cûm ipſa ratio dictitet ſal, quo prægnant hi lapides, volatile egregii quid in morbis ejusmodi præſtare poſſe. Hujus enim abundantiam eorum vis ptarmica odorque acerrimus teſtatur; unde ejus intuitu bilem viſcidam temperare porique choledochi infarctus expedire creditur D. *Lentilio loc. cit.* Neque in aliis quoque affectibus otioſus & invalidus eſt lapis, cum lentis magnitudine ſuccô Betæ permixtus, & naribus illitus Epilepticum paroxysmum arcere, naribus autem inditus viſum acuere & humorem ad oculos deſcendentem cohibere, ex Avicennâ dicatur ab *Ulyſſe Aldrovando Muſ. Metall. lib. 4. cap. 58. pag. 794.* Hinc coryzæ frigidæ, aſthmati, arenulis in renibus, ſuppresſioni menſtruorum &c. mederi dicitur ab *Avicenna Canon. l. 2. Tract. 2. c. 400. p. 253.* Errhinum enim egregium conſtituit, teſte *Sam. Dale* Anglo, in *Manud. ad Mat. Med. pag. m. 559.*

§. III.

An verò majorem adhuc cum Hiſtricum lapide convenientiam habeant lapides *in porcorum domeſticornm felle* reperti, ex viridi-nigricantes & friabiles, quos obſervavit B. D. *Philippus Jacobus Sachſius à Levvenheimb Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. Schol. ad Obſ. XLIV. p. 118.* experientia crebrioribus obſervationibus docere poſſet, cui in ſpecificis hujusmodi, utplurimum empiricis, omninò primæ ſunt deferendæ.

TANTUM!

DEO GLORIA!

DISPUTATIO IV.
DE
CHINA CHINÆ.

PRÆFATIO.

G*Ravitate non minus, quàm modeſtiâ plena verba ſunt* Hippocratis *lib. de artic.* §. 20: Turpe *ſcil.* eſſe cùm in omni arte, tum vel maximè in Medicinâ, poſt multum exhibitum negotium, multum apparatum, multamque de ſe opinionem excitare, tandemque nihil opis adferre ægro. *Vana enim eſt omnis gloriatio, quæ rerum pondere deſtituitur; & utut fama inde conquiſita tantisper volubilis oberret, haud raro tamen brevi tota evaneſcit. Vtrumque totâ die experimur in Stentoribus, Agyrtis & Circumforaneis, qui licet magno promiſſores hiatu artes & arcana ſua evehant in cœlum &, ut* Plinius *alicubi dolet, famam novitate quâdam aucupando animas incautorum operosè negotientur; quamprimum tamen ad rem ipſam fuerit deventum, tantùm abeſt, ut nomen, quod præ ſe ferunt, ſuſtinere posſint, ut potius omni arte & exiſtimatione prorſus excidant; Et idem pene fatum hactenus experta ſunt remedia quædam ab Exteris in tantum dilaudata, ſive ſimplicia, ſive compoſita, ſive naturalia, ſive artificialia, quæ niſi rationi & experientiæ, tanquam Lydio cuidam lapidi reſpondeant, omni, qua prius arridebant, ſpe nos deſtituunt. Teſtatur illud Moxa Chinenſium, à Paſtore* Buſchoviô *tantoperè ad percurandam podagram celebrata, quæ* Horſtio *obſervante, in Magnatum cura infeliciter cedens, adeò Medicis eſt exoſa, ut moxa nunc in noxam ſit converſa* & *quod novem annis in* Epiſtolâ *noſtra Lug-*

 duni

duni Batavorum ad Dn. Cleyerum, *Indiæ Orient. Proto-Medicum*, de Moxa *exarata prædixeram, æternô nunc ſilentio damnata fuerit. Multo verò aliter res ſeſe habet cum ejusmodi remediis, quæ laudes ſuas & encomia propriis in acceptis ferunt qualitatibus, quæ licet aliquando in obſcuro latitent & à Medicis habeantur inſuper, non poſſunt tamen non, etiam illic, ubi quam maximè latere videbantur, inclareſcere, ac ut ſcintilla, in cineribus ſepulta, in apertam abire flammam. Exemplo nobis ſit decantatisſimum antifebrile*, CHINA CHINÆ *vulgò dictum, quod licet in Germaniâ raro & ſæpè nullo cùm effectu fuerit adhibitum, nihilominus in exteris regionibus, Italiâ præcipuè, Anglia atque* Gallia *tanti æſtimatur, ut tanquam unicum febrium intermittentium antidotum* Regiis *etiam* edictis *commendatum fuerit. In cujus rei rationem dum inquiro, unicam (quæ totam rem ſæpè mutat) circumſtantiam in causâ eſſe reperio, cùm diverſô tempore adhibitum remedium, diverſos etiam effectus edat & expectationem noſtram aut impleat, aut eludat. Enimverò*

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore multa nocent.

Quò verò verus & legitimus medicamenti reverâ polychreſti uſus heic magis innoteſcat, non potui non in gratiam Dnn. Philiatrorum, *mihi concreditorum, in totum hoc negotium attentius inquirere & quæ uſu mihi & experientiâ de eo ſunt comperta, ventilationi publicæ committere, idque occaſione diſcurſus cum* Perſonâ *quâdam* Illuſtri *hoc deſuper argumenti genus haud ita pridem habiti, cujus juſſu & deſiderio hæc conſcripta & deproperata ſunt.* Faxit DEUS, ut omnia

FELICITER!

CAP. I.

CAP. I.

DE
HISTORIA CHINÆ CHINÆ ET, QUA NOBIS PRIMUM INNOTUIT, OCCASIONE.

§. I.

MIrabilis & deteſtanda Barbarorum eſt invidia, quâ pharmaca generoſiora magisque præſentanea Exteris, imprimis Europæis denegant, eaque vel in arcanis habent, vel omninò cavent, ne ſuis unquam terminis & regionibus efferantur. Exemplo nobis ſunt Indi tam Orientales, quàm Americani, quorum illi rarum valdeque pretioſum terræ oleum tanti faciunt, ut nonniſi clanculum inde reportari posſit: Hi verò antifebrile ſuum, Corticem Peruvianum, ſeu, ut vulgò audit, Chinam Chinæ ab eô, quo Chriſtophorus Columbus, ſive conjecturis ſive aliorum relationibus perſuaſus, hanc mundi partem adierat, tempore, ad annum hujus ſeculi 64. datâ operâ celabant. Durius enim ab Hiſpanis habiti, ſperabant crebriores febris illîc epidemiæ, inſultus eosdem tandem aut conſumpturos aut cicuraturos eſſe, ſi nobile iſthoc remedii genus ignorarent. Hinc à me vix impetrare poſſum, ut *Raymundo Reſtaurando* (uti ſe vocat) aſſurgam, qui *libro ſingulari* methodum hanc febres per Chinam Chinæ curandi *Coo noſtro* jamdum cognitam fuiſſe tradit: cùm vix aliud è *ſcriptis Hippocraticis* eluceſcat, quàm modum hunc illi neutiquam adverſum eſſe, quandoquidem in curandis febribus alterantibus magis, quàm diaphoreticis (quorum parcisſimam mentionem facit) uſus eſt.

§. II.

§. II.

Certùm ergo noſtris primùm temporibus novum hoc remedii genus Europæis innotuiſſe, idque ſolertiâ curaque Hiſpanorum. Poſtquam enim Uxor Pro-Regis, *Comitis del Cinchon*, in Metropoli Regni Peruani Limenſi, ex febre tertiana miſerè decumberet ejusque ſtatus, uti videbatur, periculoſisſimus (ut in Magnatum morbis accidit) alibi increbeſceret & ad Loxam usque rumor ille perveniret, Præfectus hujus loci, natione Hiſpanus, Pro-Regem certiorem reddidit, ad manus ſibi eſſe remedium, cujus adminiculo Pro-Regina certô certius à febri liberari poſſet, modò aſſumptionem ejus non averſaretur. Annuit ægra & corticem Peruvianum ab Hiſpano transmiſſum avidè deglutiit, paucisque abhinc diebus cum ſtupore omnium à moleſtisſima illa febri liberata eſt. Hôc factô non potuit non fieri, quin fama novi hujus pharmaci per totam partis Hiſpanicæ Americam diſpergeretur, & cùm paulò poſt ſupra allegatus Pro-Rex ex Indiâ in Hiſpaniam revocatus eſſet, his pariter in locis rumor ejus longè lateque eſt diſperſus. Quid quod eodem ferè tempore, anno circiter 1649. Patres, ut vocantur, *Jeſuitæ*, ex Americâ Romam reduces, *peculiari ſchediasmate* illîc evulgatô antifebrilis hujus uſum & naturam publicarint ejusque notitiam per univerſam Italiam æque ac regiones illi proximas diſſeminarint.

§. III.

Vix autem nominetenus inclaruerat hoc pharmacum & ecce plures agmine quaſi factô contra illud conſpirarunt, tam rudes & plebeji, quam eruditione conſpicui. Illîc è vulgo ſe opponebant Pharmacopæi quidam Exteri, pediculorum inſtar (ut *Helmontius* dolet) aliorum ſanguine ſe ſaginantes, qui dolo malô conſilium ſuſcepêre de fama hujus corticis ſupprimenda, ne ſuccinctâ hâc febres curandi methodo occaſio illis ſurripiatur miſerorum crumenas emungendi; unde variis mangoniis & obtrectationibus illi maculam quandam aſpergere conabantur. His deinde ſuppetias ferebant Viri, cæteroquin non indocti, è quibus agmen ferè ducunt

cunt *Johannes Jacobus Chiſletius* & *Vopiſcus Fortunatus Plempius*, quorum hîc eò proceſſerat audaciæ, ut *anno 1655. edito* in publicum *ſcripto* exequias illi parare non vereretur, quibus tantum etiam obtinuit, ut per aliquot annorum intercapedinem oblivioni datum fuerit medicamentum innocentisſimum; donec ex Orci demum faucibus illud eriperet *Sebaſtianus Badus*, Medicus Genuenſis, qui *Anaſtaſi Corticis, anno 1663. in lucem* editâ, Plempii cavillationibus ita ſatisfecit, ut de innocentiâ corticis nemo amplius dubitare potuerit, quam anno 1659. jamdum eleganter qnoque vindicarat *Rulandus Sturmius* Medicus Delphenſis. Non expediet hîc utriusque partis argumenta recenſere, quæ discusſionem publicam è Cathedra mereri videntur. Sufficit unicum illud, omnium fere maximum, Experientia, de quâ merito quis dixerit illud Chymici Regiomontani: HUNC MIHI SOLVE SYLLOGISMUM.

§. IV.

Tandem noſtris temporibus in Galliâ præcipuè & Angliâ ſummoperè decantatur hoc febrifugum, poſtquam Delphinus Galliarum variis ante, ſed in vanum adhibitis remediis, à *Talbotio* Anglo cortice hôc à quartanâ liberatus fuit. Unde factum ut Rex, prout audit, Chriſtianisſimus Ludovicus XIV. à citatô jam *Talbotio* medicamentum hoc, antea in ſecretis habitum, magno pretio redimeret, & in Subditorum ſolatium ſcripto quodam publico propalaret. Factum illud eſt per *Nicolaum de Blegny*, Fautorem noſtrum & Amicum percolendum, qui non tantum in *Zodiaco* ſuo ejus mentionem fecit, ſed & peculiari ſcripto (cujus Tit. *Remedium Anglicum pro curatione febrium ex juſſu Regio*) popularibus ſuis deſcripſit: Sicut idem quoque legitur in *Tract. Anonymi de la Gueriſon des Fievres par le quinquina, à Paris Ann. 1680.* cujus auctor Dn. *Monginot* Practicus Pariſienſis famigeratisſimus habetur, qui meo tempore, ob conſtantem Religionis Reformatæ cultum, carceri famoſo (la baſtille dicto) incluſus erat: Annis verò ſubſequentibus opuſcula hæc ſeparatim prius edita Ferrariæ ſimul prodierunt, ſub rubrica: FEBRIS CHINA CHI-

NÆ EXPUGNATUR, ſeu *Illuſtrium aliquot Virorum opuſcula, de verâ methodô febres per Chinam Chinæ curandi.* Sicut eôdem fere tempore nova de eodem argumentô ſchedula Verſaleſii juſſu Regis publicata fuit, cui Tit. *La maniere de ſe ſervir du Kinkina*, in quâ elegantisſimè non minus, quàm ſuccinctè modus corticem exhibendi traditur.

CAP. II.

DE NATURA, GENERE ET ELECTIONE CHINÆ CHINÆ.

§. I.

PRæmiſſa Corticis hiſtoriâ operæ pretium merebimur, ſi paulò propius ad Naturam ejus explorandam accedamus, quò manu nos deducent nomina ejus & ETYMOLOGIA, quæ optimè à Patria locoque natali ſumuntur. Dicitur enim *Cortex Peruvianus*, quia naſcitur in Peru, celebri Americæ Regnô, unde & *Pulvis Americanus, Indicus, Peruvianus* audit, cùm in formâ pulveris frequentius ſumatur. An verò æquè rectè *China Canna* vel *Chinæ* nominetur, de eô valde dubito, cum nullus ejus in China ſit proventus, prout diebus hisce è Curioſisſimi *D. D. Kempfferi*, ex itinere duodecennali per Moſcoviam, Perſiam, Arabiam & univerſam Orientalem Indiam nuper reducis, orali relatione habeo. Hinc *Quin-quinam* eandem dicere malunt illi, qui nomen hoc è *Comite del Cinchon* Pro-Rege ſupra laudato deducunt.

§. II.

SYNONYMA ejus 1. ab Auctoribus, quibus notitiam ejus in acceptis ferimus, deſumuntur, quorum intuitu *Pulvis Comitiſſæ* (quæ illo primum uſa) item *Pulvis Jeſuiticus: Pulvis de Lugo* dicitur, quia anno 16[illegible]9. à Joh. Cardinali de Lugo S. I. Romam primum delatus & poſtmodum ibidem à Collegiô Jeſuitarum Religioſis & pauperibus gratis diſpenſatus fuit; unde & in Angliâ

Pulvis

Pulvis Patrum(the Jeſuit's povvder) vulgò audit, utut Celeb. *Mortonus* in votis habeat, ut ab odioſo hoc nomine liberetur ſacrum & divinum medicamenti genus, cùm vulgus Anglorum Reformatus vel ſolo hoc nomine ab uſu ejus ſæpius abhorreat; adeòque præſtaret idem 2. ab effectibus *Corticem febrifugum*, *Antiquartium Peruvianum* &c. vocare; ſicut Gallis nomine *Remedii Anglici* frequentatur, poſtquam Delphinus à Talbotio Anglo eodem in integrum reſtitutus fuit, qui ejus Reſtaurator erat.

§. III.

HOMONYMIÆ intuitu cavendum erat, ne præſens China Chinæ confundatur cum radice hujus nominis, *Rad. Chinæ*, ad cujus differentiam duplicatô nomine *China Chinæ* audit. Ita enim fieri, experientia teſtatur, dum Medici quidam materiæ Medicæ ignari, de naturâ hujus pharmaci ab ægris interrogati, reſpondent radicem eſſe (es ſey die Wurtzel China) non absque miſerâ ſimplicium confuſione, cum hæc ad radicum, illa verò ad corticum familiam pertineat: Ut taceam Chinam Chinæ in India Occidentali, Radicem verò Chinæ in Oriente, in ſpecie Chinâ reperiri, quam vocem non tam gutturaliter, ut vulgo ſolet, ſed cum ſibilo (*Tſchina*) efferendam eſſe monet Polyglottus & Illuſtris Dn. *Ludolfi* in *Comment. ad Hiſtor. Æthiopicam.* Sed ut in viam redeamus, eâdem de causâ dubito, an hoc ipſum remedii genus rectè *Gentiana Indica* cum quibusdam dici poſſit, quùm falſa innitantur hypotheſi, Chinam Chinæ ſcil. è radicum procedere familiâ; neque enim ullam cum gentiana analogiam habet, niſi ſaporis & effectus intuitu. Formâ enim & ſpecie totò cœlo differunt, cùm hæc ad herbas & radices, illa verò ad arbores & cortices referenda ſint.

§. IV.

Nec tamen illi rem acu tetigerunt, qui cortices ſub *caſſiæ caryophillatæ* nomine veneuntes olim pro China Chinæ venditarunt, cùm illi ſint cinamomi ex arbore Canynga ab Orientalibus decerpti & neque colore, ſapore vel odore, neque craſſitie ad

corticem Peruvianum accedere videantur. Cinamomum enim caryophillatum odore,ſapore & colore caryophillos aromaticos, quos eô Inſtitores adulterant,imitatur: Cortices autem Peruviani caryophillos nec olent neque ſapiunt. Cinamomum illud multo quoque tenuiores laminas habet, quàm cortex noſter,qui cortici junioris quercus haud abſimilis eſt, ſaporis amari & paululum adſtringentis; adeòque majorem convenientiam habere videtur cum *craſſiſſima* illa *cinamomi ſpecie*, quæ in Vernacula Mutter-Zimmet audit; interim ſimilitudo hæc externa & omninò ſuperficialis nullam ſimplicium illorum identitatem probat, cùm è diverſis & arboribus & regionibus petantur.

§. V.

Enimverò arbor cortice Peruviano inveſtita & Gannanaperide à *Bontio* vocata, in Americâ Peruvianâ ejusque Regno Quitenſi propè Loxam pullulat: Arbor Medioeris,ceraſo noſtrati haud abſimilis,ſed latè ſuos ramulos expandens,ut ab *Antonio Bollo*, Mercatore Genuenſi *in Epiſt.* depingitur, foliis pruno, floribus balauſtiis officinalibus ſimilimis,qui vel albicantes, vel cœrulei, utut in nullos fructus deſinant. Unde arborem hanc in pompam magis & ornamentum à Naturâ quis formatam crederet, niſi fructuum defectum & ſterilitatem ejus cortex reſarciret omninò pretioſus & totus medicamentoſus, cujus intuitu à nonnullis *Arbor vitæ* dicitur,non quod exiſtimemus Arborem illam Paradiſiacam hujus generis fuiſſe, de quâ *Urſinus* in *Arboreto Biblico*, olim in Lect. Publ. à nobis expedito: Sed quod vitam humanam ab innumeris morborum inſultibus tueatur & præſervet.

§. VI.

E quibus omnibus conficitur: CHINAM CHINÆ *corticem eſſe arboris Americanæ amarum & adſtringentem, ad curandas febres intermittentibus præcipuè deſtinatum;* Dico *præcipuè* febribus intermittentibus dicatum eſſe corticem, ut à potiori fiat denominatio. Aliâs non inficias imus corticem Peruvianum & alios longè graviſſimos affectus ſubigere & debellare, imprimis periodicè

&

& paroxyſmatim affligentes, ſicut aliquot abhinc annis juvenem aſthmate periodico, ad Phthiſin jam inclinante, laborantem ſolo hoc cortice feliciſſimè curavimus. Quid quod & febres continuæ, ſed periodicæ, remedio hoc percurari poſſint, ut in ſeqq. demonſtrabimus. Imò in omnibus illis affectibus, quibus febricula quædam ſe miſcet, & corticem hunc partes ſuas egregiè tueri, præter *Mortonum* & *Colium* jamdudum per tranſennam quaſi obſervavit Practicus, cùm viveret, Feliciſſimus, *Thomas Sydenham*, cujus poſteritati ob plura, queis me Londini Britannorum excepit, civilitatis argumenta, æternùm ſum obſtrictus.

§. VII.

Optandum autem eſſet, ut corticem hunc genuinum atque verum ſemper obtineremus, cùm is, qui in nonnullorum officinis proſtat, ſæpenumero effœtus, putridus & adulterinus obſervetur: & inde ferè eſt, quod conciſæ illæ, quibus rem antea conficiebant, doſes, hodie neutiquam ſufficiant, quæ noſtris temporibus conjunctim non drachmis, ſed unciis metiendæ, cùm priſtinis temporibus ʒij. in adultis non exceſſerint. Fuerunt enim, qui alios & in fraudem effictos ſubſtituêre cortices, quibus ut omninò ſimilem amaritiem conciliarent, aloes ſolutione ſuccurrêre, prout fucum hunc jamdudum Pharmacopola quidam Collegii Romani ſincerè detexit; & hinc diverſitas illa & *differentia*, qua duplex China Chinæ in officinis Aromatariorum vel ut audiunt, Materialiſtarum reperitur, *Vera* ſcilicet, quæ pretioſior, & *Spuria* quam Baſtard China vocant, quæ vilior & pauperculis parabilior eſt, prout utramque ſpeciem pro ſuetâ ſibi humanitate mecum diviſit Curioſiſſimus rerum naturalium Indagator, *Dn. Waldſchmidius*, Bibliothecarius Francofurtenſis Meritiſſimus.

§. IIX.

Operæ pretium merebimur, ſi è rerum Indicarum Scriptoribus *notas* quaſdam ac *criteria* obſervemus, quibus genuinum corticem à falſo liceat diſtinguere, quæ potiſſimum à qualitatibus

externis ſenſibilibus deſumuntur. *Verus* enim Cortex Peruvianus eſt friabilis, colore cinamomi, ſapore grato, amaro & nonnihil aromaticô gaudens, odorem ſpirans ſuavem, aromaticum & nonnihil mucidum, ſed abſque moleſtia, quô ſolô verum à falsô diſcernit Dn. Mortonius. *Adulterinus* èc contra odore hoc deſtituitur, ſed putridus eſt & effœtus, ſaporis ingratè amari & acerbi, coloris nigricantis, ab aloe mutuati, viſcidus ſimul & glutinoſus, cùm liquore quodam tenace ſit imbutus: Unde ſi fruſta adulterina vero cortici fuerint immiſta, aut maſticatione aut contuſione facilè diſcerni & ſecerni poterunt.

CAP. III.

DE FACULTATIBUS & USU CHINÆ CHINÆ.

§. I.

FAcultates atque vires hujus corticis indigitant binæ ejus qualitates ſenſibiles, amarities ſcilicet & vis aromatica, quarum illa probabiliter à particulis inæqualibus hamatis, linguæ papillulas in diverſum rapientibus & vellicantibus: Hæc verò à particulis tenuibus & ut Chymici loquuntur, volatilibus, plus minus oleoſis deducenda erit, cùm pleraque aromatica, teſte experientiâ, illis imprægnata ſint. Prioris intuitu aloeticorum more alvum quandoque movet, ſed raro, opiatis & theriacalibus, ſi opus ſit, facile ſiſtendam. Quin ejusdem amaritiei intuitu vim quandam anthelminticam, à paucis hactenus deſcriptam, à nobis autem, tam in infantibus, quàm adultis aliquoties obſervatam poſſidet. Nec enim putandum eſt ſemen ſantonici, vulgò ſemen contra vermes dictum, unicè lumbricorum progeniei adverſari, quod licet palmam hic in paſſu teneat, nihilo tamen minus alia quoque vegetabilia

bilia amaricantia ſimilem virtutem obtinent, ut in ſummitatibus abſinthii, tanaceti & recrementis lupuli videre eſt, de quibus elegantem obſervationem habent *Miſcellanea Acad. Cæſareo-Leopoldinæ Germ. Dec. II. Anno VII.*

§. II.

Altera corticis noſtri proprietas erat vis ejus aromatica, in particulis tenuibus, volatilibus radicata, quarum intuitu calidum & ſiccum eundem pronunciant *Commentatores Schrœderiani, in Append. ad Clav. Pharmaceutico-Chym.* & hinc virtutem aperiendi, diſcutiendi, attenuandi, reſolvendi, putredinem arcendi & roborandi illi tribuunt. Quemadmodum ergo quævis aromatica balſamica tonum viſcerum confortant & ſpirituum tam vitalium, quàm animalium vigorem & activitatem excitant, adeoque Naturam & quod vocant, calidum innatum alunt & conſervant: Ita cortex hic aromaticus ſimiliter haud exiguam in ſimilibus affectibus exerendis qualitatem obtinet, utut ſublimius quid in eô quærant Angli, *Mortonus ſc.* & *Guil. Cole*, de quo alibi.

§. III.

Utriuſque autem qualitatis intuitu magnam in curandis febribus virtutem habet, cùm æquè certò febres fuget, ac ficus illæ febriferæ in Sardinia eaſdem inducunt; & hinc meritò per excellentiam *Cortex febrifugus* audire ſolet, non quod omnes indiſcriminatim febres auferat, ſed quod pleraſque, in ſpecie chronicas, ab aliis pro incurabilibus ſæpe habitas omninò ſubigat. Quod ut appareat, operæ pretium merebimur, ſi paucis ſolitas & ſolidas febrium differentias expendamus, in quibus antiquiores mirè luxuriant, ut è ſolis *Rondeletii Tabulis* apparet, ita quidem, ut Tyrones iiſdem magè confundantur, quàm juventur: Non enim qui nimium, ſed qui bene diſtinguit, bene docet, nec entia præter manifeſtam neceſſitatem multiplicanda ſunt. Major certè inter febres eſt affinitas, quàm Veteres putarunt, ut forte non ſine cauſa ſuperfluas illorum diviſiones rejecerit Celeb. *Dolæus in Encyclopæd. Pract.* Sufficientes ergò & in Praxi magis obviæ ſunt in ſeq. Tabulâ depictæ:

FEBRES

- FEBRES ſunt aut
  - INTERMITTENTES, *quæ vel*
    - Simplices, ut
      - *Quotidiana* } notha vel vera
      - *Tertiana* } notha vel vera
      - *Quartana*
    - Compoſitæ, ut
      - *Tertiana* } *duplex* vel *triplex.*
      - *Quartana* } *duplex* vel *triplex.*
  - CONTINUÆ, *quæ vel*
    - Acutæ hæq; vel
      - continentes ſive
        - Benignæ, ut *Diaria*
        - Malignæ, ut
          - *Febr. pet.*
          - *Peſtis.*
      - continuæ periodicæ, ut
        - *Quotid.* } *continua.*
        - *Tertiana* } *continua.*
        - *Quartana* } *continua.*
    - Lentæ, ut
      - *Febr. Catarrhal.*
      - *Hectica.*

§. IV.

Jam quæritur, an cortex Peruvianus omnibus his febrium generibus perdomandis ſit Suffenus nec ne? Vulgò ſoli quartanæ eundem adverſari putant, in bilioſis autem & mixtis febribus, ob caliditatem, minus convenire ſentiunt, ut *Profeſſores Placentini & Mediolanenſes* in *Conſultatione de febre Tertiana* Cardinalis Doyghi anno 1661. decreverunt. Verùm aliter nos informat Experientia & in eâ fundatus lib. Gallicus: *La Maniere de ſe ſervir du Kinkina* jamdum ſupra allegatus, in quô ad omnes febrium intermittentium ſpecies ſummoperè laudatur: Il guerit (inquit pag. 5.) toutes ſortes de fievres intermittentes, de quelque nature, qu'elles ſoient, quotidiennes, tierces, doubles tierces, quartes, doubles & triples quartes, il guerit les mésmes fievres, quand elles ſont continues. Hoc eſt: *Curat is omnes febrium intermittentium ſpecies, cujuscunque ſint naturæ, quotidianas, tertianas, tertianas duplices, quartanas duplices & triplices: Curat easdem febres, quando ſunt continuæ.* E quibus apparere poſſet Chinam Chinæ quoque curandis febribus continuis acutis adhiberi poſſe: Verùm notanda hîc eſt emphaſis textus Gallici: *Il guerit les mesmes fiévres, quand elles ſont continues*, quô haud obſcurè indicatur, remedium hoc non in quibusve continuis, etiam continentibus ſimplicibus, ſed *continuis* tantùm *periodicis*, ex continuâ & intermittente compoſitis, commodè adhiberi poſſe. Quemadmodum enim in prioribus magis obeſſe, quàm prodeſſe poſſet, ita in poſterioribus dextrè adhibitum, neminem facile deſeret, ut in *conſtitutione epidemica* anni 1693. me fida docuit experientia. Prægreſſo ſcil. hyeme pluvioſô & circa finem frigidisſimo, ſub primô vere inſolitus & intenſus aeris fervor ſuccedebat, per integrum æſtatis decurſum continuans: Cum verò omnis ſubitanea mutatio, juxta *Coum* noſtrum, ſit periculoſa, non poterat non inſignis M. S. discraſia inde propullare, ut declinante Junio non tantùm Dyſenteriæ, ſed & febres omnis generis, continuæ æque ac intermittentes, utrobique ſæpe malignæ, graſſarentur, quæ in pluribus colludentes *Tertianæ*

H *conti-*

continuæ typum obſervabant, quam præmiſſo, vel omiſſo etiam emetico, ſolo corticis Peruviani uſu felicisſimè D.B. ſuſtuli, quo præter cives quosdam Academicos *Dn. Herzeri*, Senatoris hujus loci integerrimi, Conjux brevi dierum intervallo perfectisſimè convaluit.

§. V.

Summum autem & divinum ferè ſublevamen adfert cortex hic in omnibus *febrium intermittentium* ſpeciebus, tam ſimplicibus, quàm duplicatis aut triplicatis, quæ licet aliis ſpecificis, ſive fixis, ut Regulo ♁ Medicinali, ſive volatilibus, ut ⌒ ⊖ ✱ quoque cedant, nihilominus æquè citò fieri non ſolet, ac cortice Peruviano, quô tanquam freno quodam inſultum febrilem coercere poſſumus. Sanè ſi aliis in affectibus parile ac æquè certum remedii genus ad manus ſemper eſſet, ad ſummam certè perfectionem evectum eſſet ſtudium Artis Medicæ. Dies & charta me deſereret, ſi omnes *Tertianarios* remediô hôc percuratos recenſere vellem, è quibus admirandam ejus efficaciam, ex conſilio meô, aliquos abhinc annis ſentiebat Illuſtrisſimus *Comes ab Haſſfer*, qui ob Choream Illuſtrem à cibô, nî fallor, ſtatim inſtitutam, ſummoperè incaleſcens & in Tertianam incidens, paucorum dierum intervallô remediô hoc plenariè reſtitutus fuit. Expertus idem eſt *Dn. Chriſtoph. Saur*, Ærarii Eccleſiaſtici Oeconomus, una cum Uxore, Per-Illuſtris Dn Lynckeri ſorore, quæ febri hac diutisſimè vexata & inſigni illo pharmacorum apparatu ab aliis præſcripto (cujus pyxides & vaſcula Myrothecium domeſticum mentiebantur) nequicquam ſublevata, tandem unâ vel alterâ hieræ antifebrilis n. d. è cortice hoc conſtantis doſi, cum ſtupore omnium convaluit; ſicut idem quoque accidit in *Aulico* quodam *Butisbacenſi* aliisque innumeris. Quin imò, ſi febres hujusmodi duplicentur, & idem remedium dextrè applicatum convenit, utut ob exiguum & ſubinde vix ſenſibile paroxysmorum intervallum res difficultate plena ſit. Proſperum tamen & felicem inde ſucceſſum vidi in *in binis Pædagogicis* & Judæo *Baruch* hîc ſatis famoſô.

§. VI

§. VI.

Tandem in *Quartanâ* cortex Peruvianus ſacra quaſi anchora eſt, quæ licet olim pro Medicorum ſcandalo ſit habita, hoc ipſo tamen antipyreto certô certius ſuperatur, dummodò in unicâ (de quâ alibi) circumſtantiâ non erraveris. Teſtem hîc appello Collegam meum Honoratisſimum *Dn. D. Dillenium*, cui ſub primô, quô hûc conceſſerat, adventu, bini quartanarii ſunt oblati. Paulò poſt honoris ergò me conveniens & inter reciprocos ſermones illorum mentionem faciens, conquerebatur morbum hunc prorſus contumacem optimis etiam remediis non obtemperare. Quæro an & cortice Peruvianô ſit uſus? ait, idque bihoriò ante Paroxysmum? Ego verò illum tempore intermisſionis exhiberem, inquam, ſi penes me eſſet arbitrium, idque juxta methodum Modernis uſitatam. Repetit ergò doſes aliquot & brevi temporis ſpatio ægros ſibi concreditos à morbo illô prorſus liberavit.

Plura, quæ mihi contigerunt exempla hîc annecterem, ſi opus eſſet, è quibus ſuum mihi teſtimonium non denegabit Nobil. *Dn. Junghen*, Jurium tunc Studioſus, nunc ut audio, Prætor Caſtrenſis, quem Chinæ Chinæ uſu expectatione citius à Quartana liberavi; quod idem in Signifero Copiarum Haſſo-Darmſtadinarum *Dn. Walthero* accidit. Quæ omnia non eum in finem heîc adduco, ut Thraſonum more bullas & atteſtata, auro ſericoque fulgentia, explicando, vulgi applauſum Praxinque opimam ambiam, ſed ut ſuppreſſas hactenus & alicubi proſtratas inſontisſimi remedii vires ipſi Praxi & eventui reſpondere comprobem.

CAP. IV.

DE
PRÆPARATIS & COMPOSITIS è CORTICE PERUVIANO.

§. I.

Quùm ſcelus ſit (ut *Crato*, trium Imperatorum Archiater, alicubi loquitur) Compoſitis uti, ubi ſimplicia ſuffecerint, hinc meritò in exhibitione Chinæ Chinæ, tanquam remedii pro curandis febribus ſufficientisſimi, à mixtura aliorum, quantum fieri poteſt, abſtinendum. Si enim ullum eſt medicinæ genus, quod à theriacalibus & ſesquipedalibus compoſitionibus abhorret, id profectò cortex hic antifebrilis eſt, qui non citius, quàm ſibi relictus efficaciam ſuam exerit. Optima ergò præparatio ejus eſt ſimplicisſima in pollinem ſeu pulverem ſubtilisſimum comminutio, qui abſinthite, Malvatico aut vehiculo quodam appropriato in ſubſtantiâ aſſumptus expectationi noſtræ optimè ſatisfacit. Hinc B. Dn. *Strausſio* Anteceſſori meo Deſideratisſimo, in frequenti uſu erat Potiuncula *D. Fauſti*, Prof. quondam Heidelbergenſis:

Recip. *Vin. Rhen.*
▽ *ſalv.*
Syrup. gran. aa. ℥ij.
Chin. Chin. ℈ij.
M. pro 2. doſibus.

D. Wormbſerus, νῦν ἐν ἁγίοις, olim Practicus hujus loci haud incelebris ℈ij. Vino Rhenano infundebat & more Antiquorum ante Paroxysmum propinabat, quâ ſæpe ratione febrem jugulabat, ſed non citra metum recidivæ; ad quam præcavendam aliâ heîc viâ incedendum. Inclutus *Wedelius*, Anteceſſor Acad. Salanæ, Chinam

Chinæ

Chinæ cum Vino Malvatico dare jubet, ut majorem cortici activitatem conciliet. Mihi meisque ægris vini abſinthiaci hauſtus poſt ſingulas corticis doſes aſſumptus ſuffecit, idque nunquam, quæ DEI eſt clementia, ſine felici eventu.

§. II.

Quodſi ob corticis amaritiem forte grave fuerit eundem in formâ pulveris aſſumere, compoſitio aliqualis, aſt ſimplicisſima, admitti & cum conſ. vel ſyrupo quodam gratiori aut BOLUS, aut ELECTUARIUM exinde confieri poterit, quale *Sydenhamio* Celeb. quondam in uſu erat:

Recip. *Cort. Peruv.* ℥j.
Conſerv. roſ. ℥ij. M. F. Elect.

Qùm autem cortex ita nimis dilatetur, hinc elegantius cum Syrupo quodam hanc in formam redigitur, Syrup. ſc. papav. errat, rub. idæi & ſimilibus, e. g. ſit Elect. *Mortoni:*

Recip. *Chin. Chin.* ℥j.
Balſ. Peruv. ℈j.
Syrup. rub. id. q. ſ. M. F. Elect.

Loco balſ. Peruv. in *Hiera* mea *antifebrili*, quæ in officina *Dn. Scipionis* proſtat, aliud admiſceo, quod vim corticis mirè exaltat & omnia generis nervoſi, quæ nonnulli pertimeſcunt, incommoda præcavet.

§. III.

Sin & hæc forma non arrideat & PILULÆ fortè expetantur, facilimè hæ confiunt, ſi cortex ſubtilisſimè pulveriſatus Tragacantho excipiatur indeque pilulæ formentur:

Recip. *Chin. Chin. pulveriſat.* ʒiß.
c. *Mucilag. Trag.* ▽. *tormentill.* vel *card. bened. extr.* q. ſ.

F. Pilulæ, in ditioribus deaurandæ: Quibus, ſi Diarrhœa quædam ſit conjuncta, Theriaca cœleſtis aut aliquid de laudano opiatô admiſceri poterit.

 §. IV.

§. IV.

Tandem ſunt, qui TINCTURAM inde conficiunt, ſive menſtruô appropiatô extrahendo, ſive iteratò in ▽. ſimpl. decoquendo, v. g.

Recip. *Cortic. Peruv.* groſsô modô pulveriſat. ℥iij. coq. leniter in ▽. *ſimpl. lib.* j. ad dimid. Col. & remanentiam Decocti affuſa recenti ▽. toties de novô coque, donec omnis amarities extracta ſit. Tandem omnes col. miſce, adde
Syrup. caryophill. q. ſ. ad grat. *Doſ.* ℥iv. v. vj.

§. V.

An & EXTERNE quid valeat, ſi cum ſapone nigro in CATAPLASMATIS formâ carpis applicetur, quod haud ita pridem nonnemo aſſerere non dubitavit, illud certò prius confirmare non audeo, quàm iteratis experimentis ex ipſa praxi habeamus compertum. Probabilitatem tamen aliquam ipſi mutuantur alia pericarpia antifebrilia, è fuligine, telis aranearum ipſisque araneis parata, quibuscum pari fortè paſſu ambulat.

CAP. V.

DE LEGITIMA CHINAM CHINÆ USURPANDI METHODO.

§. I.

Nobilis eſt hiſtoria, quæ de Inclyto quondam Argentinenſium Archiatro, D. *Kueffero* (ſine cujus adminiculo, *Willio de Itineribus Philiatr. Germ.* teſte, nullus è Magnatibus unquam reconvaleſcere voluit) circumfertur, qui Philiatro neſcio quæ ſecreta ab eodem expectanti cum *Capivaccio* reſpondiſſe fertur: *Diſce meam methodū & ſat habe-*

habebis arcanorum: Methodus enim vera & legitima eſt, quæ principium, medium & finem obtinet in Arte Medicâ juxta *Hippocr. lib. de decenti habit.* §. 3. Methodus eſt, quâ medicamina generoſiora atque draſtica ita temperantur, ut legitimè adminiſtrata manus quaſi DEI ſint, ſiniſtrè verò adhibita culter in manu furioſi. Exemplo ſit febrium per Chinam Chinæ curatio, quæ debito tempore, numero & menſura diſpenſata indubitatum & infallibile febricitantium eſt ſolatium: Intempeſtivè autem uſurpata pericuſa generis nervoſi ſymptomata & certum recidivæ metum ſibi juncta habet; quæ omnia tamen abuſui magis, quàm uſui ejus adſcribenda ſunt:

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

§. II.

Duplici autem ratione cortex hic in Praxi diſpenſari ſuevit, altera Veteribus, altera Modernis uſitata. Priores, ut pleraque febrifuga ita & Chinam Chinæ una vel altera horâ ante paroxysmum ingruentem exhibent, quô ipſo febrem quidem aliquantisper ſuſpendere, ſed & ægros ècontra in alia, priori longè vehementior mala, ſæpiusculè præcipitare ſolent; febri poſt certò recidivante, niſi in ſubjectis firmiori texturâ præditis natura morborum Medicatrix errorem hîc commiſſum alicubi emendet. Rationem hujus rei fusè explicat ingenioſiſſimus Anglus *Guiliel. mus Cole* in *Novæ Hypotheſeos, ad explicanda febrium intermittentium ſymptomata & typos, excogitata hypotheſi*, quam ut fuſius hîc explicem, inſtituti noſtri ratio non patitur, nec verbum hoc omnes capiunt.

§. III.

Altera eaque legitima Modernorum methodus eſt, quâ non tam ante, quàm poſt inſultum febrilem corticem hunc commendant; præmiſſis, ſi opus, præmittendis, incipiendo tempore apyrexias & ſingulis 4. aut 6. horis doſin ejus repetendo, ut antequam è foco ſuo erumpens fermentum febrile partibus nervoſis ſe ingerere

gerere poſſit, obtundatur ejus virulentia ipſique via ad fibrillas & nervos, quos incommodare ſolet, præcludatur. Ita enim pedetentim & ſucceſſivè absque ulla ſæpe excretione ſenſibili ſpicula ejus obtunduntur, enervantur & feliciſſimè invertuntur; quem agendi modum elegantiſſimè exprimit Tract. Gallicus *La maniere de ſe ſervir du Kinkina pag. 5.* verbis ſeqq: Auſſi les habitans du Peru ne ſe ſervent ils jamais de purgation pendant l'uſage du Kinkina & pretendent, qu'il conſume peu a peu la cauſe de la fievre, comme le tan des corroieurs conſume tout ce, qui ſe trouve de ſuperflu dans le cuir. Interea tamen uſus ejus febri jamdum profligatâ aliquamdiu eſt continuandus, quod iis, qui eodem in Praxi ſunt uſuri, in aurem jam dixiſſe ſufficiat.

CAP. VI.

DE SUCCEDANEIS CHINÆ CHINÆ.

Quamvis cortex noſter antifebrilis nunc pretio mage tolerabili veneat, quàm priſtinis temporibus, ita ut libra ejus, quæ 3. imò 16. Imperialibus primùm vendebatur, jam vix tribus inſumptis habeatur; quia tamen ne ſic quidem à Pauperculis obtineri poteſt, hinc cogitavi ſæpe, annon in ſolo patrio hîc ſimile aut parile medicamentum ejusdem effectus inveniri poſſit, & tandem incidi in ſimpliciſſimum & parabile admodùm remedium, cujus ℥j. vix duobus cruciatis, imò gratis haberi poteſt, quo eadem via uſurpato iis, quibus res anguſta domi, non minus feliciter opitulatus ſum; ſed ut verum fatear, res æque citò, ac cum cortice Peruviano, non expeditur, quo hanc ob cauſam domeſticum

cum illud antifebrile ſubinde ſtimulare & acuere conſuevi. Dabitur fortè occaſio, ut & illud crebrioribus obſervationibus mage probatum luci tradam publicæ, modo Summus rerum humanarum Arbiter, Deus T. O. M. vitam nobis & ſanitatem indulſerit.

EPILOGUS.

Dixi, quæ alii, lucro magis intenti, ſanctiori ſilentii peplo involvenda & in arcanis habenda cenſerent, eoque magis, quod hæc talia non ludendo aut domi pyra aſſando, ſed per infinitas itinerum moleſtias, cum præſentaneô ſæpe vitæ ſanitatisque diſcrimine, addiſcì ſoleant. Aſt plus apud nos obtinet Summi, quam reſpicimus & devotè veneramur, Archiatri gloria, plus intereſſe publicum, quàm elumbium quorundam nummorum manipulus. Fruere hisce, mi Philiater, *& propediem alias, in Germaniâ noſtrâ nondum omninò obvias, non minus tamen certas & probatas morborum quorundam contumaciſſimorum curas expecta. Interea* Vale *& res tuas ex voto perage!*

ADDITAMENTUM.

Habitâ jam Diſputatione præſente, à Nobilisſimô *Dn. D. Praunio* ex Italiâ obtineo *D. Helvetii* Junioris methodum, qua febres omnis generis per Chinam Chinæ, in Clyſteribus adhibitam, felicisſimè curavit: Pariſiis primum Linguâ Gallicâ, mox & Parmæ Linguâ Italicâ impreſſam, quam boni publici ergò, Latinitate donatam, his ſubjicere volui.

METHODUS
FEBRES OMNIS GENERIS, SINE MEDICAMENTIS ORE SUMENDIS, CURANDI:
DETECTA PRIMUM & REGI CHRISTIANISSIMO *OBLATA,* à
D. HELVETIO Jun.

Ex omnibus ſpecificis antifebrilibus, usquedum cognitis, China China ſine ulla contradictione eſt excellentisſimum. In hôc omne Medici conveniunt: Ipſe autem ſtudio ſingulari omni cautelâ & diligentiâ posſibili adhibitâ, in eô prorſus ſum convictus. Verisſimum quidem eſt, quòd in præſentem usque horam plura incommoda in modô exhibendi obſervata fuerint, id quod in causâ fuit meq; obſtrinxit, ut de methodo quadam ſollicitus usque fuerim, quæ inconvenientibus illis ſubjecta non ſit & mediante quâ, ex admirando hoc remedio, haurire poſſumus id, quod habet boni, fugiendo quævis pernicioſa & incommoda.

Equidem omni caret dubio, ante me ſimilem inquiſitionem à nemine, ex infinitô Medicorum numerô, inſtitutam fuiſſe, utut quamplures & diverſæ Chinæ Chinæ præparationes occurrant, quæ à XXX. vel XL. annis, per totam Europam, in hunc usque diem creſcunt eundo.

Sunt, qui eandem dant in infuſione: Alii in ſubſtantiâ: Quidam exinde tincturam extrahunt: Nonnulli Syrupum conficiunt: Rurſus alii in extracti formâ præſcribunt; Paucis: in centum formas, à ſe invicem diverſas, transmutatur; verum ex omnibus

illis

illis nemo talem usque modum invenit, cujus intuitu ægri ſe felices & contentos prædicare posſint.

In effectu autem reique veritate quidam conqueruntur, quòd ſtomachus inde gravitate intolerabili corripiatur, cum inſigni dolore. Alii pectus inde affligi clamant. Hic calorem inſolitum: Ille ſe nimium exſiccari querulatur; tandem toto die ſunt, qui licet remedio hoc curati fuerint, eô tamen rurſus uti nolunt, ſive jam mala, queîs agitantur, ab ipſa Chinâ Chinæ, quam hauſerant, proveniant, ſive à regula & methodô, quam ſumendo illam obſervare jusſi ſunt, quæ talem circumſpectionem exigit, ut facilime, ſub uſu ejus, ut decet, continuatô, in quadam parte ceſpitari posſit.

Non dicam jam de incommodis Chinæ Chinæ magis cognitis & de quibus omnes ægri (præter gravamina illa, de quibus modò dixi, particularia) generaliter conqueruntur, inappetentia ſcil. ejus, horrore & amaritudine, quæ nunquam ferè à medicamento hoc, ore ſumpto, tolli poſſunt, quacunque etiam formâ propinetur; quod eò gravius eſt, quò ſæpius, non obſtante nauſeâ, ægris neceſſariò moleſtâ, à primô ejus uſu, inevitabiliter adverſisſima ejus aſſumtio eſt repetenda, idque eodem die & quidem ſex ad minimum ſeptimanarum ſpatio: Præterquam, quòd contra quamvis recidivam, quæ ſuccedere poſſet, uſus ejus ſæpe reiterandus ſit.

Omnes ergò & ſingulas illas circumſtantias, minus certè favorabiles, ſeriò penſitans & quòd à remedio hoc prorſus ſint inſeparabiles, profundâ meditatione volvens & revolvens, putavi tandem me aliam, eamque magis acceptam, methodum eô utendi detexiſſe, quâ proficui ejus effectus ſic obtineri posſint, ut quicquid moleſtiam aut dolorem quendam fortè cauſari poſſet, evitetur.

Non autem alia hæc via eſt, quam in formâ CLYSTERUM.

Quapropter expediet recipere unciam unam Chinæ Chinæ

ſelectisſimæ & in pulverem redactæ, eandemque dimidio poculo aquæ tepidæ miſcere, nequicquam alterius adjiciendo.

Hic clyſter in FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS ſub fine paroxysmo infundi debet, repetendo tribus vicibus de die, donec perfectè curata fuerit, quod nunquam longè poſt accidit; rarum enim & inſolitum eſt novum recurrere paroxysmum: Rarisſimum duos ſe trudere: Nunquam autem tres accesſiſſe vidi.

Curatô ægrô, obſervandum eſt, ut per XII. dierum ſpatium ſimilibus adhuc clyſteribus utatur: Scilicet prioribus ſex diebus unô matutino & alterô veſpertinô tempore: Reliquis verò ſex diebus unico tantùm, horis matutinis, eluatur.

Quemadmodum, ſub uſu illorum, præſtat quàm diutisſimè & in quantum eſt posſibile, retinere clyſterem: Ita ſi fuerint perſonæ nonnullæ, quæ eundem in corpore retinere nequeunt, niſi perexiguô temporis intervallo, illis proficuum erit, ſi pulveri Chinæ Chinæ ℥ß. ſyrup. papav. albi miſcuerint, qui ſine magnô labore retentionem medicamenti facilitabit.

In FEBRIBUS CONTINUIS fiat clysma ex Decocto Chinæ Chinæ, cum aquâ ſimplice: Cui immiſceatur adhuc ℥j. Chinæ Chinæ; & quoad ſyrupum papav. albi, ea quæ modò diximus, denuò obſervanda.

Infunditur autem enema ſub declinatione exacerbationis & ſi hæc non incommodet, detur eô tempore, quô febris minus urget.

Dum porrò in febribus intermittentibus ter de die æger eſt clyſterizandus, in continuis illud quater fiat, oportet, donec à febre ſit immunis.

Poſt curationem idem Clyſter per XII. dierum ſpatium, eô, quô ante dictum, ordine, eſt continuandus, primis ſcil. ſex diebus unum mane & alterum veſperi: ultimô verò ſextiduo indies veſperi unum infundendo.

Hoc remedii genus omnibus, cujuscunque ſtatus, ætatis, aut ſexus fuerint, perſonis convenit, differentiâ ſaltem, quoad doſin Chinæ Chinæ, habitâ.

Infan-

Infantibus enim adhuc lactantibus, usque ad ætatem 4. annorum, ℨij. Chinæ Chinæ ſufficiunt.

A quarto ad decimum annum ℨiij.
A Decimô ad XV. annum, ℨß.
Ab anno XV. ad XX. ℨvj.
Ab anno XX. ad LX. integra doſis, ſcil.

℥j. locum habet, etiam in Gravidis, in quibus remedium hoc, absque ulla agitatione aut commotione p. n. effectum ſuum præſtat.

Interim, qui temperamento debili, aut viſceribus nimis teneris & delicatulis gaudent, nonniſi dimidiam doſin, h. e. ℥ß. capiant.

Obſervandum autem I. Eos, qui rarius clyſterem reiterant, uſum ejus diutius continuare debere, ut majori numerô operetur; quod enim unumquodvis enema, in ſpecie agere non potuit, illud tandem repetitio diuturnior expediet. Quod non ſolùm iis, qui integram doſin capiunt, ſed & qui partem ejus tantùm adhibuerint, dictum eſto.

II. Obſervetur, quod iis in ſubjectis, quibus Lethargus, febres malignas ſubinde comitans, gravis eſt, ſyrupus papaveris albi clyſteribus non adjiciendus; ſed retentio illorum diuturnior aliô, quocunque fieri poterit, modô promovenda ſit.

Econtra III. obſervetur, ut in febribus cum alvi fluxu conjunctis, clyſteri ſemper ℥ß. ſyrup. papav. albi miſceatur, nunquam illud omittendo.

IV. Notam meretur, quod in morbis complicatis, ut defluxionibus pectoris à capite decidentibus, pleuritide, vulneribus cujuscunque generis & ſimilibus, remedii hujus adminiſtratio ſemper conveniat, non ſine felici ſucceſſu, ita ut nunquam non febrim tollat, facilitatem majorem ſimul ad reliquias tollendas poſt ſe relinquens.

Aliàs nequicquam febribus conjungi ſolet, quod uſum remedii hujus contraindicet, niſi tenſio extraordinaria ventris inferioris.

Tandem adhuc obſervetur, quod, ut ægri reperiuntur, qui clyſterem retinere nequeunt, ita ècontrariô dentur, qui eosdem planè non, aut tardius ejiciunt; id quod inflationem abdominis cauſatur. Hisce ergò convenit, ut alternis diebus, circa veſperam, utantur enemate Laxativo, quod illos facilè expediet. Alioquin autem clyſteres è China Chinâ parati, facultatem purgandi non habent; & quia hunc in finem non injiciuntur, ægri ſe minus discrucient, ſi neque bilis, neque alius humoris excretionem, clyſteribus communibus familiarem, obſervaverint.

Quod DIÆTAM attinet, nullam, niſi ordinariam impero. Æger nutriatur jusculis, quamdiu febri urget, quâ finitâ comedat modicè, ita tamen, ne ſtomachum nimis oneret, abſtinendo à cibis digeſtionis difficilioris. Potus durante febre ſit Decoctum hordei, pro lubitu & guſtu cujusvis parandum. In febribus malignis rad. ſcorzon: cum rad. CC. in aliis rad. Acetoſ. Nenufaris, Agrim. Cichorei, Gram. ad refrigerandum: Bismalv. Sebeſt. Liquir. Zib. & mellis in affectibus pectoris adjici poſſunt. Febri finita Vino rurſus ægrum conſolari poſſumus, cui, quantum fieri poteſt, gratificari ſemper decet, &c. &c.

DISP. V.

DISPUTATIO V.
DE
CLYSTERE TABACINO.

§. I.

Non linguæ tantùm & palato delicatulorum, ſed & gutturi inferiori, ut cum *Plautô* loquar, novæ indies cupediæ parantur, dum præter diverſi generis clyſteres, Tabacophilorum inſtar, fumum Nicotianæ quoque noſtris diebus ſugere tenetur, qui non ſecus atque alia, ſive laxandi, ſive alterandi gratiâ, injecta, in quamplurimis affectibus præſentaneam ſæpe opem affert, neque tot ſpecierum farraginem, in vulgaribus enematibus obſervandam, requirere ſolet.

§. II.

Optandum ſanè eſſet, ut, quemadmodum Ibis avis, cui inventio clyſterum communiſſimè adſcribitur, ſolâ aqua marinâ, ad eluendam alvum, contenta erat, ipſi quoque Medici ſive ſimplicitatem, ſive ſelectum majorem obſervaſſent, cùm tot radicum, herbarum, ſeminum & electuariorum cumulus ſæpe burſam magis, quàm alvum miſerorum eluat, quæ ſola aquâ ſalsâ commodius & certius, reliquis prorſus irritis, moveri poterat, ut propriâ experientiâ edoctus *Regnerus de Graaf*, Anatomicus Celebratiſſimus, in egregiô *de Clyſteribus libello pag. 186.* dudum monuit; cui, in ſcybalis magis induratis, ſolum oleum commune ſive ſurrogari, ſive maritari poterat, quô feliciſſimè ſuo tempore uſus eſt *Solenander in Conſil.* hinc inde.

§. III.

Non minus eâdem ſimplicitate & Clyſteres alterantes à mulierculis domi parari ſolent, officinales effectu, ſi non ſuperantes, proximè tamen æmulantes, CARMINATIVI ſcilicet, ex decocto florum chamomillæ, ANODYNI ex capitibus papaveris, in a-

qua

qua vel lacte decoctis, TRAUMATICI, ex terebinthina lacti vel urinæ commiſta, ANTIFEBRILES ex pulv. Chinæ Chinæ aquæ ſimplici infuſo & ſic in aliis.

§. IV.


Omnium verò ſimpliciſſimi ſunt CLYSTERES TABACINI, quos in GERMANIA noſtra rarius vel nunquam in Praxi Medica adhiberi, non ſine cauſa miratur *D. Stiſſerus in Epiſt. ad Societ. Reg. Londinenſem de machinis fumiductoriis curioſis*, quùm in Anglia aliisque in locis ſint frequentiſſimi.

§. V.

Quanti enim uſus ſint in Colica, Nephritide, Paſſione Hyſterica, Herniâ flatulentâ, Teneſmo, Fluxu mulierum Albo, Tympanitide & ſimilibus affectibus, ipſa teſtatur experientia. Inflationem profectò Abdominis, infantibus familiarem, incantamenti inſtar ſopire ſolent, ut nuper admodum in puerulo obſervavi. Dyſenteriam quoque, nullis aliis juvantibus, curare valent, ita quidem, ut Clyſtere hoc Tabacino Feliciſſimi quondam Medici, *Dn. D. Sebaſtiani Scheffèri*, Conjux, Dyſenteriâ graviſſimâ laborans, ex Orci faucibus erepta fuerit, quod ex propriâ Matronæ beatiſſimæ relatione habeo: Quemadmodum nuperrimè adhuc ſimilimum exemplum hîc Giſſæ obſervavi. Quin & Epilepſiam Infantum verminoſam eó mediante profligatam eſſe, teſtatur antè laudatus *Stiſſerus*, rejectis paulò poſt inflationem copioſis, per vomitum & ſeceſſum, lumbricis.

§. VI.

Applicatio autem Clyſteris hujus fit ope ductus cujusdam coriacei, filis ferreis, ſpirali modo convolutis, ſuffulti, fiſtulis tabaci flexibilibus, queîs Turcæ & Barbari utuntur, ſimilimi, cui in parte ſuperiori pyxis aut eburnea, aut lignea, internè, aliam, è lamina ferrea paratam & foraminulis pertuſam, continens affigitur, cui foliæ Nicotianæ inciſa, cum carbone ignito inſeruntur, quorum fumus, ope fiſtulæ operculo pyxidis annexæ, per ductum coriaceum


Fig. I.
b
A
c
e
c
d
B
B
Fig. II.
Æ
B
C
D

ceum & ſiphunculum ano immittendum inſufflatur,ut ante laudatus *Stiſſerus* omnia in figuris æneis ob oculos ponit, in ſupra alleg. *librô, de mach. fumiductoriis curioſis.* Conferatur & *Deckerus in Exercit. circa Mat. Med. nov.*

§. VII.

Cùm verò inſtrumentum hoc (quod in Angliâ paſſim venum exponitur) noſtris in regionibus non æquè ſemper obtineri aut parari poſſit; hinc ad ejus imitationem ſimile è ductu illo coriaceô, quô *Regnerus de Graaf*, ad enemata ſibimetipſi applicanda, utitur, facilimè confieri poterit, ſi loco ſiphonis ſuperiori extremitati applicandi, pyxidem illam tubulatam applicaveris, ita quidem, ut in *Tab. III. Fig. I.* ſummitati *e* ductus coriacei B. ſuperingeratur pyxis lignea in *Fig. II.* ejusdem *Tab. III.* depicta, cujus inferior apertura D. tanta capacitate gaudeat, ut ſummitatem ductus B. in ſe recipiat hujusque oræ C. inſiſtat. Pyxis hæc exterior lignea, aliam è laminâ ferreâ paratam & in fundo C perforatam contineat, oportet, cui folia tabaci inciſa inſeruntur, quæ à carbone ignito impoſito accenſa in fumum abeunt, per fiſtulam ſeu tubulum Æ. operculo B. *Fig. II.* annnexum, & conſequenter per inferiorem tubulum A, inteſtino recto inſerendum, abdomini inſufflandum.

§. VIII.

Et hâc quidem ratione & verecundiæ ægrorum conſulitur, qui Clyſterem hunc ſibimetipſis applicare, ductum è lecto protrahere & ut per adſtantes fumus ipſis inſuffletur, curare & jubere poterunt, haud aliter, ac loco pyxidis, ſiphone ordinario ſummitati *e* ductus B. in *Fig. I. Tab. III.* applicato, ſimiliter Clyſteres ordinarii & communes iisdem ægris, non inſpectis poſterioribus analyticis, applicari poterunt, conf. *Tab. IV. Fig. I;* ut idem ita inſtrumentum duplici huic uſui & intentioni applicari poſſit.

DISPUTATIO VI.
DE
NOVA HERNIARUM CURA.

INTROITUS.

Si virtus & in hoſte laudanda, ſanè nemo nobis vitio verterit, ſi providam atque gratioſam LUDOVICI XIV. *Regis Galliarum curam, & quo de vita ſubditorum eſt ſollicitus, amorem hic publicè deprædicaverimus, dum pharmaca quævis certiora & infallibilia, ab Auctoribus eorum & inventoribus multis ſæpe francorum millibus & ſtipendiis ampliſſimis redemta, in civium ſalutem bonique publici incrementum evulgare ſolet, cujus rei plurima nunc in publicum ſpecimina ſunt edita. Non dicam jam de verâ & infallibili febres curandi methodo, à* Talbotio *coemtâ & juſſu Regio publicatâ, utpote quam alibi ſufficienter excusſimus. Neque de altero easdem febres per clyſteres curandi modo, haud ita pridem ab* Helvetio *linguâ Gallicâ juſſu Regis primum, mox & auctoritate Sereniſſimi Ducis Parmenſis lingua Italica publicato, nunc verò latinitati donato & nuperrimè factis experimentis à* Dn. D. Albrechto *Hildeshemii comprobato quicquam addam. Sufficiat ſaltem novi, quod ſimiliter bonitati Regis acceptum ferimus, remedii antidyſenterici* ὡς ἐν παρόδῳ *paucis meminiſſe, cujus inclytus* Leibnizius in Epiſt. ad B. D. Volckamerum, Anno 9. Dec. 2. Miſcell. Acad. Germ. Cur. circa finem addita, *primum nos participes reddidit. Innotuerat autem illud Viro omni literaturâ celeberrimo ex* Henrici Juſtelli, *Magnæ Britaniæ Regis Guilielmi Bibliothecarii, relatione, qui cum idem famigeratiſſimo* Magliabechio *perſcripſerit, hicque Amicum in Gallia eâ de cauſa conſuluerit, reſponſum tulit, rem non eſſe de nihilo, cum* Marchio Louoyſius *Chirurgos per omnes exercitus eô juſſu Regio inſtruxerit. Non cunctatas*

E. vir

E. vir curioſiſſimus, per amicum, à Medico Pariſienſi, cui in frequenti uſu erat remedium, certiorem ejus notitiam impetravit, quæ fere ita ſe habet: Mercator quidam Gallus, nomine Grenier, *ex Hiſpania Lutetiam attulerat* 150. ℔. *radicis, quam Americanis magnarum in curanda dyſenteria virium eſſe perceperat. Hoc ut inclareſceret, Medico cuidam ingenioſo partem mercis ſuæ credidit, qui captis primum quamplurimis in Noſocomio, vulgò* Hoſtel de Dieu *dicto, experimentis, Regi illud tanquam à ſe inventum obtulit, qui comperta medicamenti virtute, ſummâ pecuniæ inſigni prius ſoluta, Medicum privilegio, ut ſolus illud diſtribueret, inſtruxit. Mercator interea omnia queſtibus implet, Medicique perfidia tanto beneficio orbatus rem ad Parlamentum defert, in quo lis ita eſt finita, ut Medico privilegium Regium ſartum tectumque maneret, modò pro mercibus Mercatori ſatisfaceret. Hic tamen ægrè ferens omnia & aliis tum Pharmacopœis tum Medicis ſpecificum hoc aperuit, donec conſciorum diſcordiâ arcanum ſucceſſivè patefactum fuerit. Tandem verò auſpiciis Magni Regis methodus remedio hoc utendi lingua Gallia evulgata eſt ab* Adriano Helvetiô, *Medici in Batavia clariſſimi* Joh. Frid. Helvetii *filio, in Gallia nunc florente, cujus jam ante mentionem fecimus. Ne autem Germania eô amplius careret, curam hanc è Gallico in Latinum converſam peculiari* Epiſt. ad Nat. Curioſ. *deſcripſit ſupra laudatus* Leibnizius, *quæ primùm* Liſteri opuſculis, *mox & ultimo* Miſcell. Acad. Nat. Cur. *anno III. ſc: Dec. II. annexa fuit. Sed neque hîc ſubſiſtit Regis erga ſubditos benignitas, quæ ſi in exteros pariter ac indigenas ſe extenderet, ſanè non haberet de quo conquereretur Germania. Habet tamen & hîc de quo ſibi gratuletur, dum & affectuum externorum, Chirurgos mage concernentium curam egit, quandoquidem & novam eamque incruentam* HERNIARUM CURAM, *à* Priore de Cabriere *feliciter exercitam, ſimiliter typis publicis excudi juſſit, quam vel eam ob cauſam ventilatione publica omninò dignam eſſe duxi, quod non tantum heîc locorum, ſed & in univerſa pariter Germaniâ usquedum pauciſſimis forte cognita, itaque comparata ſit, ut dubitare quis poſſet, utrum effectus medicamento magis quàm enchiriſi Chirurgicæ tribuenda ſit. Ne verò*

 man-

manca mutilave videatur tractatio, præmiſſa prius herniarum generatione, reliquas, Operatoribus, ut vocantur, hactenus familiares herniarum curas ſimul paucis eviſcerabimus. Faxit DEUS ut omnia feliciter!

CAP. I.

DE HERNIARUM DESCRIPTIONE ET DIVISIONE.

§. I.

Herniæ nomen generale eſt & omnes illos affectus comprehendit, in quibus aut ob ruptionem aut dilatationem partium continentium viſcera, in abdomine potiſſimum contenta, locum p. n. mutant, alibique impacta hærent. Hinc non inconvenienter ab aliis rupturæ, vulgò die Brüche/ dicuntur, quod herniæ propriè ſic dictæ ſemper ruptionem quandam membranarum continentium, ſi non perfectam, ſaltem inchoatam ſequantur. Hinc non malè *Paracelſus* in *Prælect. de vuln. Tom. 2. oper. p. m. 569.* Herniam deſcribit ita: Der Bruch nihil aliud eſt quàm ein Loch/ da die inteſtina heraus gehen. Unde non video, quo jure diverſi teſticulorum tumores, hydrocele v. g. ſarcocele, pneumatocele, cirſocele, à *Coſtero*, *Barbette* aliisque Practicis innumeris ad hernias referantur, cum neque ruptio quædam, neque partium illarum dislocatio obſervetur, adeòque rectius Tumoribus à *Sennerto* accenſentur *lib. 3. Prax. Cap. VI. p. 219.*

§. II.

Quemadmodum verò hi exceſſu peccabant, ita inſufficientis partium enumerationis & defectus cujusdam argui meritò poſſent illi,

illi, qui omnes herniarum ſpecies ex omenti aut inteſtinorum verſus umbilicum, inguina & ſcrotum prolapſu deducunt, quarum hanc enterocelen, illam bubonocelen, iſtam verò omphalocelen nominant. Aſt licet non inficiemur, tres has herniarum ſpecies in Praxi eſſe frequentiores, certum tamen eſt & alia quandoque abdominis viſcera è ſitu ſuo dimoveri & ruptis continentium repagulis p. n. protuberare, quod à liene, hepate &c. quandoque contigiſſe Scriptores Chirurgici teſtantur. Nec ſemper verſus anteriora ſubſident partes herniam cauſantes, ſed quandoque verſus dorſum prolabuntur, inibique protuberantiam ejusmodi varicoſam excitant, ut non tantùm *Barbette* è modernis, ſed & *Cous* noſter ſuo jam tempore obſervavit *lib.2. de morb.* §.164. Quid quod & ſuperiora verſus ruptio hæc contingere valeat, ita ut & per diaphragma, ſeu in utero materno, ſeu extra uterum disruptum, ventriculus aut omentum in mediam C. H. regionem eruperint, quorum prius inclytus & B. *Clauderus in Ep. ad D. Ruyſch* Ambſt. *de obſervatione Anat. mirabili Patavio 1661.* conſcripta, poſterius verò *Dn. D. Praunius*, Auditor quendam meus eruditisſimus, nunc Poliater Campidonenſis in cane heîc diſſectô obſervavit, de quo vid. *Miſc. Acad. Germ. Dec. 2. A. 2. obſ. 124. pag. 186.*

Nec *obſtat*, hæc talia absque inſigni ſuffocationis aut aſthmatis periculo contingere non poſſe, cum pertuſo diaphragmate aer in pectore contentus quâ data porta ruens ipſos pulmones comprimere non posſit, quod ad exſpirationem ſummoperè neceſſarium eſſe, per *Mayovii* follem & inſtrumenta *Senguerdii* oſtendit D. *Schamberg* Lipſienſ. in politisſima *de Reſpiratione læſa diſſertatione.*

℟. Fieri enim poteſt, ut omentum vel alia pars factum in diaphragmate foramen adeò exactè obturet, ut æger absque ulla reſpirationis difficultate ſalvus maneat. Inſignem hujus rei obſervationem mecum benevolè communicavit Vir multæ Experientiæ *Dn. D. Herthius* Archiater Haſſo-Darmſtad. & in Ludoviciana noſtra Collega honoratisſimus, quam paucis heîc referre liceat:

ceat: Baro literis armisque verè Nobilis globo ſclopetario olim in pectore perfoſſus erat, globulo diaphragma ſimul trajicente; curato, ut putabatur, vulnere, per integrum octennium nequicquam inde moleſtiæ ſenſit, licet ſolennibus & vehementisſimis ſæpe venationibus absque ulla reſpirationis difficultate interfuerit: Aliquot verò abhinc annis Virginem ſibi deſponſavit formoſam, ſed vegetam & robuſtam, in cujus amplexibus nimium exardeſcens pauiò poſt immani & terribili dyſpnoeâ corripitur, ut magno cum labore inclinatus è profundo quaſi ſpiritum trahere coactus fuerit, tusſi inſimul rejiciens materiæ purulentæ quantitatem maximam, ut conſummatâ phthiſi laborare videretur, ipſique Medici omnem jam pulmonum ſubſtantiam abſumtam eſſe crederent, ita ut poſt obitum ejus in exenteratione totam pectoris cavitatem pure repletam fore cenſuerint. Aſt longe aliud eventus docuit, cum non ſine ſtupore pulmones invenerint floridos, integros & omninò ſanos, niſi quod alterius lobi margo tenerior juſto & carni maceratæ haud abſimilis diaphragmati adhæſerit, & apertis ad ſenſum tubulis, in foramen diaphragmatis inſigne & pugnum ferè admittens hiaverit, per quos materia illa purulenta pulmonibus ab aëre incumbente impacta & conſequenter tusſi rejecta fuit. Dubium E. nullum eſt, quin à vulnere diaphragmati olim inflicto ulcus hîc & vomica generata fuerit, quæ foramen diaphragmatis tantisper occluſit, & aëre interno viam intercepit, donec ruptâ vomicâ pureque ejecto foramine redintegrato ſumma illa reſpirandi difficultas acceſſerit. Cur verò ſtatim ab inflicto vulnere talis non adfuerit, inde factum, quod portio carnea à diaphragmate reſciſſa exſpirando eò reſorpta & poſtmodum in vomicam converſa foramen occluſerit, ut reſpiratio ſemper ſalva permanſerit. Dubium E. nullum eſt, talem in diaphragmate herniam absque ulla reſpirandi difficultate contingere poſſe. Interim cum omnibus fere Practicis ambabus largimur, tres ſupra enumeratas ſpecies, omphalocelen ſcil. bubonocelen ac enterocelen frequentiores & notatu digniores eſſe.

§. III.

§. III.

OMPHALOCELE quidem eſt nimia umbilici prominentia, à peritonæi laxatione aut ruptura indeque conſequenti inteſtinorum & omenti prolapſu ſuborta. Horum E. intuitu probe diſtinguenda eſt ab Hydromphalo ſeu hydrope umbilici particulari, quem ipſa natura ad expurgandum ſerum p. n. ſæpe molitur, quemq; vel admotione candelæ(cujus lumen transmittit)vel contactu,vel ſenſu fluctuationis ab umbilici hernia diſtinguere poterimus. Nec à tumore carnoſo aut flatulento facilè decipi poteris, ſi utrumque digitis compreſſeris, dum iisdem aut planè non cedunt, aut facilè redeunt, quod in Exomphalo ſeu hernia umbilici non æque contingit, inprimis ægro reſupinato, ubi omentum vel inteſtina,(quæ duo quoque tactu probè diſtinguenda)per interſtitium muſculorum rectorum facilè reſtitui & in loco naturali aliquantisper detineri poſſunt.

§. IV.

BUBONOCELE verò eſt omenti aut inteſtinorum ad inguina prolapſus, à laxatione proceſſuum peritonæi orta. Dicitur vulgò herniæ ſpecies imperfecta,quæ facilè in herniam ſcrotalem degenerare valet. Interim probè obſervandum eſt, ne teſticulum in inguine hærentem pro hernia tali habeamus, variaque externa admovendo illi moleſtiam creemus ac dolorem, quod non ſine cauſa monet *Schenckius lib. 4.* & ex eo *Moronus in Direct. Med. Pract. pag. 182.* Hoc enim non adeò infrequens eſſe, quod vel uterque vel alter teſticulus in abdomine remaneant, teſtantur obſervationes Anatomicæ, ita ut ſi penis in illis lateat, ſexuum mutatio apparens fieri poſſit. Vid. *Bartholin. Anat. Ref. lib. 1. c. 22. pag. 208.*

§. V.

ENTEROCELE per excellentiam ita dicta tandem eſt inteſtinorum in ſcrotum delapſus, à proceſſu peritonæi ſ. rupto ſ. p. n. dilatato, ortum trahens. Omnium autem facilimè delabitur inteſtinum ileum, quod infimum & proceſſui mage vicinum eſt,

unde

unde ſi ob reciprocos motus quædam ejus portio in cavitatem hujus, tanquam vaginam ſe recondat & quaſi nodum formet, paſſio Iliaca, quæ herniofis frequenter ſatis accidit, oriri poteſt. Interdum tamen & reliqua inteſtina ſcrotum illabuntur, inprimis in herniis antiquioribus & inſignioribus, ut quandoque tota inteſtinorum moles locum mutet, ut in Nobili quodam Haſſiaco DN. à S. ſæpisſimè factum. Horrendum hujus rei exemplum habet *Job van Mekeren, in obſ. Chir.* qui in hernioſo tantum inteſtinorum prolapſum obſervavit, ut ſubſidente hinc abdomine vertebræ lumborum tactui patuerint.

CAP. II.

DE

VARIIS HERNIARUM CAUSIS.

§. I.

Cauſas herniarum, tam proximas quam remotas, breviter & ſuccinctè exprimit *Hippocrates*, quando *lib. 2. Epidem:* easdem ex plaga, disruptione aut alterius aſſultu oriri dicit. In eo enim omnes omninò herniæ conveniunt, quod pro *cauſa proxima formali* continentis alicujus, plerumque peritonæi aut proceſſus ejus heîc ruptionem ſive dilatationem, nimiamque laxationem, vel utramque agnoſcant. Equidem peritonæi proceſſum duplici conſtare tunica, internâ & externâ, certum eſt ex Anatomicis: Cùm verô poſterior ſummè ſit dilatabilis, hinc raró disrumpitur, ſed internâ diſruptâ ab illabentibus inteſtinis aut omento magè dilatatur. Vid. *Thom. Barthol. Anat. Ref. lib. I. Cap. VII.*

§. II.

Cauſam proximam materialem quod attinet, rarisſimè absque violentia externa accidente oriuntur herniæ, niſi quis teneram nimis

mis & à parentibus in liberos propagatam peritonæi ejusque proceſſuum texturam huc referre velit, quæ tamen ab aliis ad cauſas remotiores vulgò refertur. Hujus enim intuitu herniæ quandoquæ ſunt hæreditariæ, ita ut herniosi herniosos generent, quod non tantùm *Hildanus* confirmat in *obſerv.* ſuis, ſed & hic locorum familiam novimus, in qua omnes fere maſculi herniæ obnoxii, cui fæmellæ non pariter ſubjectæ ſunt, cum in illis firmior ſit continentium in abdomine partium textura. Non igitur exiſtimandum eſt, ſolos affectus intemperiei hæreditarios eſſe, ſed & organici tales ſunt, cum calvi calvos generent, diſtorti diſtortos. Vid. *Hippocr. lib. de morb. ſacr.* §. 19. Interdum & nimia humorum redundantia partes laxando ad hernias diſponit.

§. III.

Externarum verò cauſarum, ſub plagæ aut aſſultus nomine *Coo l. c.* venientium, innumerus fere numerus eſt, cum varia omninò ſint, quæ impetum quendam in abdominis partes faciendo, peritonæi ejusque proceſſus laxationem aut rupturam procreare valent. Ita è *rebus naturalibus*, vulgò ita dictis, *temperamentum humidum & ſeroſum*, partes laxando, aliquid ad hernias conferre valet. Cui pariter *ætas puerilis* immane quantum favet, cum partes illic teneriores facilè laxari aut disrumpi posſint, eoque magis, ſi è *rebus nonnaturalibus* ſeu diæteticis motus intempeſtivus, pueris haud inconſuetus, clamor nimius, caſus ab alto, ſaltus & ſimilia acceſſerint, quorum intuitu & ſaltatores & luctatores facilè herniis corripiuntur. Quantum animi pasſiones contribuant, edocet hernia ex tonitru *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. II. Ao. IV. pag. 279. E rebus* verò *præternaturalibus* omnes affectus abdomen nimis aut irritantes aut extendentes hernias producunt. Ita nimiam purgationem & hypercatharſin herniam induxiſſe *Platerus* obſervat, quod de vomitu & tusſi nimia pariter confirmat *Nuckius Exper. Chir. 34. pag. 221.* de partu verò difficili *Sennertus* in Praxi *lib. III. P. 2. l. c. VI. pag. 221.* Quibus omnibus denique plagæ, ictus & vulnera extus illata conjungi poſſunt, ſive jam

abdomini, ſive viribus inferantur, cum vel ſola harum tractio & violenta contrectatio (quâ rixoſæ mulieres & Xantippæ Maritorum vires enervare & quodammodo caſtrare norunt) hernias intuliſſe, experientia malique ſeculi mores atteſtentur.

CAP. III.

DE

SIGNIS HERNIARUM DIAGNOSTICIS ET PROGNOSTICIS.

§. I.

HErniarum præſentia facilè dignoſcitur ex tumore molli, utplurimum indolenti, & ægro reſupinato vel inverſo ſubſidente, in incipiente quidem minore, in confirmata verò majore, quæ in herniis inteſtinalibus & (ut ita loquar) ſcrotalibus omnium evidentisſimè occurrunt. In hernia verò umbilicali atque inguinali cautione quadam opus eſt, ne illic tumores umbilici aquoſos, flatulentos & carnoſos pro herniis habeamus: Hîc verò bubonocelen pro bubone peſtilentiali, Venereo, aut tumore glandularum curemus, ægrumque in præſentaneum vitæ periculum illius Chirurgi more conjiciamus, cujus ex *Aquapendente* meminit Celeberrimus *Craanius, in Animadverſ. ad Prax. Reg. à Dn. Broen* recenter editis *C. 3. pag. 529.* qui herniam inguinalem pro tumore Venereo curans emollientia illi applicavit & cùm ad maturitatem jam videretur perductus, lancetâ tumorem ſimul & inteſtinum pertudit, unde mors brevi ſubſecuta eſt. Hinc ſigna diſtinctiva, ex ſupradictis facilè haurienda, probè obſervanda ſunt.

§. II.

Quod *ſubjecti cauſarumque* ſigna attinet, diſpiciendum probè eſt, an peritonæum vel proceſſus peritonæi ſolummodo laxata, an omninò diſrupta ſint, id quod partim è ſitu illorum, partim

tim ex ipſius herniæ generatione videre licet, quæ ſi pedetentim & ſucceſſu temporis contigerint, à laxatione illorum: ſin verò ſubitò & derepentè obſerventur, à ruptione contigiſſe putantur; quod ipſum tamen perpetuum non eſſe, celeb. *Nuckii* obſervatio evincit, qui in utroque caſu peritonæum tantummodò relaxatum invenit *experimento* XXXIV. *pag.* 122. *Exp. Chirurg.*

§. III.

Prognoſis omninò variat, tum ratione ipſius morbi, tum ſubjecti intuitu. Illic minor hernia & quæ à ſola laxatione provenit facilius curatur majori & à ruptura quadam ortâ. Majoris etiam ſpei eſt recens quàm inveterata, quæ poſterior fere creſcit eundo, & ſi non inflammationem & gangrænam inferat, ob incarcerata tamen ſcybala, aut alvum ad plures dies, imò ſeptimanas, adſtrictam habet, aut ileum infert lethale, quod in bubonocele omnium facilimè contingere à *Burnetto in Theſ. Med. Pr. p.* 79. obſervatum fuit. Prioris exemplum nobis præbuit *Dn. Kriegsmannus* Senior, Chymicus aliàs *Glaubero* amiciſſimus, qui ob herniam inteſtinalem diuturnâ ſæpe ſummeque doloriſitâ alvi obſtructione laborabat, quæ vix niſi copioſo oleo oliv. epoto curari poterat, quo excrementa nimis indurata dubio procul emolliebantur. Poſterius non modo *Sylvius* celeb. fatetur *Prax. lib. I. cap.* 15. §. 22. ſed & vivo quodam exemplo demonſtrat *Regius Prax. Med. Cap.* 31. *pag.* 313. & *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *A.* 3. *obſerv.* 125. Subjecti verò intuitu citius in pueris evaneſcit hernia, in quibus vel ſolâ ligaturâ tempeſtivè adhibitâ (non tamen omiſſis traumaticis internis) curari poteſt: in ſenibus verò res non æque facilè ſuccedit, adeò quidem, ut *Guilielmus de Cauliaco*, Chirurgus antiquiſſimus, miretur de *Lanfranco* (verba ejus ſunt more ſeculi tunc barbarè ſonantia) *quod dicit, curaſſe ſe cum medicinis unum ſexagenarium & alium quadragenarium de magna & completa ruptura:* Imò deceptores vocet illos, qui ſimile quid promittunt; quod tamen durum & nimis liberaliter dictum videtur, cum ex-

perientia contrarium doceat, teſte quoque *Arnoldo de Villa novâ*, qui empl. de pelle ariet. herniam XXX. annorum curatam eſſe aſſerit *lib. 2. Breviar. C. 30. fol. 205.* quin longè tutius incruenta herniarum cura in ſenibus, inprimis debilibus & tuſſiculoſis esſet tentanda, quùm idem *de Cauliaco* expreſsè dicat, *ſufficere tales præſervare cum medicinis & dimittere eos vivere cum ſua claudicatione*, ut claudicante rurſus ſtylo loquitur *Chirurg. Tract. VI. Doctr. II. fol. 59.*

CAP. IV.

DE CURA HERNIARUM INCRUENTA.

§. I.

Cura herniarum quarumcunque, tam Medica, quam Chirurgica, quoad indicationes coincidit cum luxationum therapia. Quod enim luxationes in partibus duris, hoc herniæ ſunt in partibus mollioribus. Quemadmodum E. in luxationibus ad 2. potiſſimum reſpiciendum, ut ſcil. oſſa acetabulis elapſa reponantur & in ſitu naturali, unde exciderant, conſerventur, ita binæ hæ indicationes, *Repoſitio* ſcil. & *Conſolidatio* in herniis quoque reſtituendis obſervanda erunt.

§. II.

Repoſitio quàm citiſſimè, ſi fieri poteſt, inſtituenda, ne inteſtina, extra ſitum naturalem alibi incarcerata, inflammationi aut ſphacelo obnoxia fiant, indeque paſſio iliaca aliaque incommoda ſequantur. Fit autem repoſitio hæc, ſi in omphalocele æger reſupinetur, in epiplocele verò & enterocele quodammodò invertatur, ut clunibus elevatis inteſtina prolapſa ſponte in priſti-

num

num debitumque locum relabatur. Quodſi verò id non fiat, digitis blandè intrudenda ſunt, cavendo tamen, ne in poſteriori caſu teſticulus ſimul prehendatur, indeque dolor ejus & inflammatio producatur. Sin flatus aut ſcybala indurata prolapſa extus exta diſtendant, eorumque repoſitionem impediant, illîc carminativis, hic emollientibus, tam internis quàm externis, ægro ſuccurrendum erit. E *carminativis* ſummoperè conveniunt ſemina 4. calida majora, quæ tanquam ſolamen inteſtinorum ſummoperè commendat & ex commiſeratione DEI pauperculis innotuiſſe ſcribit *Helmontius lib. de flatib. §. 28. p. 401. Tom. 1.* adeoque vel cibis miſceri, vel ſpiritus oleaque exinde parata intus adhiberi poſſunt. Extus cataplasmata, epithemata & lineamenta ex iisdem, cum fl. chamom. rad. angelic. leviſt. bacc. laur. &c. laudantur, quorum formulæ apud *Sennertum, D. Michaelem, Barbette, Dolæum* & alios videre licet. *Riverius obſerv. 82. cent. 3.* laudat ſimpliciſſimum ſpiritus vini uſum, cui ſp. carmin. *Sylvii* haud infeliciter admiſceri poterit. Inter *Emollientia* interna eminet ol. oliv. vel amygd. dulc. ſive jam ſcybala emolliendo agant, ſive ſpasmodicam fibrarum tenſionem demulcendo, quæ poſterior *Ettmülleri* eſt ſententia. Quin & externè crebrò illita eadem conveniunt, ut & cataplasmata, fomenta, inſeſſus & ſemicupia ex herb. 4. emoll. rad. alth. lil. alb. ſem. lin. fœnug. debitâ proportione unitis & præſcriptis conſtantia, è quibus & clyſteres, à quamplurimis laudati, coquuntur, in quibus nihilominus cautelâ quadam opus eſt, ne pondere ſuo malum augeant potius, quàm imminuant. Hinc ſi in craſſis inteſtinis ſtabulantia recrementa promovenda, alvusque officii ſui admonenda ſit, ſuppoſitoria potius quàm clyſteres adhibere jubet *Crato 3. Impp.* Archiater, in *Conſiliis à Scholzio* editis *n. 305.*

§. III.

Sed quid de repoſitione magnetica cenſendum, quam nonnulli in arcanis habent & emplaſtris quibusdam magneticis regioni lumborum applicandis effectui dare ſuſtinent? Enimverò famoſum hîc eſt emplaſtrum illud *Frid. Hoffm.* in *Meth. Med.* tan-

torpere dilaudatum, de quo prolixum *corollarium gratioſum* (ut vocat) *Trigæ* ſuæ *Cinnab.* addit *God. Schulzius*, qui licet omnia arcana ab Auctore redemerit, inventionem tamen ejus *Angelo Salæ* tribuit, cum haud obſcura ejus veſtigia legantur in *Anat. Vitrioli pag. 579.* & *Tr. de Peſte p. 463.* Deſcriptio hæc eſt:

℞. Gumm. Sagapen.
Ammon.
Galban. ana ℥iij.
Terebinth.
Cer. Virgin. ana ℥j.
Magnet. arsenic. ℥ij. gr. XV.
Rad. ari ℥j.

M. ſec. animadv. Zvv. & pelli caninæ inunct. applicetur lumbis, circa eam ſcil. regionem, ubi inteſtina mediante meſenterio ſpinæ cohærent, quæ emplaſtro hoc ſe retrahere putantur. Interim ſincerus hâc in parte eſt laudatus modo *Schulzius*, qui repoſitionem Chirurgicam emplaſtro huic anteponit, cum nulla fere ſit vis ejus tractoria, quam Natura Modernorumque Philoſophorum experimenta ignorant. Unde ſi applicationem ejus inteſtinorum retractio ſubſecuta fuerit, non niſi demulcendo, particulisque balſamicis ſtricturam partium reſolvendo agit, quicquid agit, adeòque pro altero ſcopo, ut ſcil. inteſtina in ſuo loco detineantur, mage conduceret; quem in finem & antiquiſſimi quidam Auctores Emplaſtra ex magnete conſtantia externè adhibebant, dum prius internè pulverem Martis propinaverant, quem hernias curandi modum è *Guidone de Cauliaco* allegavit *Arnoldus de Villa nova*, loco ſupra cit. *fol. 60.* Addo ipſius *Guidonis* verba, cum Auctores illi vetuſtiſſimi (in Chirurgicis ſanè non inſuper habendi) in pauciſſimorum hodie manibus verſentur: Ita autem *Tr. VI. Chir. Doctr. 2. fol. 59.* „*Alter modus curandi rupturas in magno ſecreto mihi per quendam virum magnum elevatus: & eſt quod ſuppoſito bono regimine, tacente & quieſcente patiente, per XXX. dies & re-*

ductis

ductis inteſtinis, accipiat quolibet mane & ſero unum ſcrupulum (qui,, eſt tertia pars groſſi) de limatura chal. cum vino decoct. hed. terreſtris,, & ſuper locum rupturæ per 50. dies, de tertio in tertium remutando, po-,, nat emplaſtrum factum de dyadamante, groſſo modo pulveriſato & cum,, apoſtolico malaxando incorporato &c. Sed & hic latet anguis in her-,, ba, cum per experimenta Modernorum conſtet, magnetem in pulverem comminutum vi illâ tractoriâ (vulgò ſic dicta) prorſus exui. Unde & *Paracelſus* ſuo jam tempore *id nihil eſſe* dicit, *cum per anatomiam id nullo modo probari poſſit. Neque enim limatura Martis integra hucusque pervenire poteſt.* Vid. *op. Tom. 2. in Prælect. de Vulner. Cap. de ruptur. p. 569.* Hinc miror, diſcipulum ejus alias fidelem, *Helmontium* fabulæ huic adhuc ſubſcribere *de Magnet Vuln. Cur. §. 18. Tom. I. p. 406.* & licet *Thomas Campanella lib. 6. Medic. c. 20. art. 2.* herniam in ſe ipſo ita ſanatam narret, fruſtraneam tamen hanc ſanandi rationem oſtendit *Kircherus lib. 3. de Magn. p. 7. & Vop. Fort. Plempius in Schol. ad Ebſin. lib. 2.* Hinc ſi quicquam contribuit, vi exſiccandi conducere exiſtimat Auctor *Enchiridii Med. Pr. Cap. de enterocele*, Conf. G. *H. Welſch. in Not. ad obſ. Reuſner.* Et idem quoque dicendum eſt de alterius Chirurgi cura, qui contrariâ ratione magnete in pulvere internè dato, externè limaturam ferri applicat, cujus ex *Paræo Sennertus* meminit *Med. Pract. Lib. 3. Part. II. ſect. I. cap. 6. p. 228.*

§. IV.

Similiter, nî fallor, quoque cenſendum eſt de *Conſolidatione herniarum* (quæ alterum abſolvit ſcopum) *ſympathetica*, quam fusè extollit *Helmontius Tract. poſthumo de virtute magna verborum ac rerum, Tom. I. oper. p. m. 762.* à Filio (qui nonagenarius, ut audio, nunc Auguſtæ Vindel. degit) communicato, dum herniarius ſeminudus per quercum in medio diffiſſam tranſire & ipſa quercus aliquot nexibus ſtrictim ligari jubetur, ita conſolidatâ rimâ, hernia quoque curari dicitur; quæ cura vel exinde periculoſa videtur, quod exareſcente quercu hominem eandem tranſientem pariter exaruiſſe per exempla probet idem *Helmontius*: & licet tribus aliis exem-


plis

plis hanc feliciter ceſſiſſe adſtruat, quandamque ſimul ætiologiam in effluviis ipſius quercus balſamicis & quodammodo adſtringentibus (quæ per ſpiritum lignorum acidum probari poſſunt) radicatam ſubjunxerit, dubium tamen eſt, an curatio tranſitui per quercum, an ligaturæ magis adſcribenda ſit, quæ in herniis ejusmodi recentibus, ab Auctore recenſitis, vel ſolæ ſufficiunt. Apertè enim fatetur, adoleſcentem in primo exemplo *Zonâ ſtrictè munitum* fuiſſe, cui, meo quidem arbitrio ipſa, quæ ſecuta eſt, herniæ conſolidatio adſcribenda eſſet. Idem cenſe de ſeminibus nonnullis, quæ ab hernioſis ſeri jubentur, quibus in plantulas ſe explicantibus hernia curari putatur. Aſt credat Judæis Apella, niſi pellis & ligamentum acceſſerit. Hinc licet hujus rei exemplum norit, remedio tamen hoc ob ſuperſtitionem uti ſubveretur Dn. *Reiſerus Miſcell. Acad.* Germ. *Cur. Dec. II. Ann. 9. obſ. 33. pag. 65*

§. V.

Si enim quidpiam eſt, quod in curandis herniis ſummoperè conducit, illud ſanè apta & conveniens eſt faſcia (vulgò ein Bruchband) qua herniæ, infantum præprimis & recentes, perfectisſimè curari poſſunt, inprimis ſi aliquot ſaltem ſeptimanarum quies & decubitus ſupinus acceſſerit. Moleſta enim & carnificinæ ſimilis eſt cura, *ſi quis per totum annum fixè in tergo jacendo perduraret, quâ ratione posſibile eſſet, ut ruptura per ſe curaretur per naturam, cum nihil in te vacuum eſſe patiatur Natura*, ut *Paracelſus* Philoſophatur *in oper. Chirurg. Tract. Prælect. de Vuln. pag. 570.* Cingula autem & faſciæ quantum conferant, teſtatur obſervatio à *Steph. Blancardo* collecta, de Cantore quodam 40rio cantando herniam inteſtinalem ſibi adſciſcente, qui bracherium à Chirurgo allatum & inguinibus accommodatum ſex annis gerendo perfectisſimè convaluit, donec à pleuritide ſuperveniente è vivis ſublatus fuerit. Aperto veró cadavere multum adipis in eo loco, ubi peritonæum fuerat dilatatum, inventum fuit, quæ obſtitit, quo minus exta amplius è loco ſuo procidere potuerint. Vid. *Anatomiâ Pract.*

TAB IV.



Pract. Ejuſdem Obſerv. 49. pag. 115. quam hiſtoriam è *Pareo* ſimul refert *Sennertus in Praxi l.3.p.2.ſ.1.c.6.p.22.* Puerulorum verò hernias, etiam circa octavum ætatis annum, bonâ faſciâ ex linteo confecta ac empl. carminante *Sylvii* ſæpisſimè curatas vidit *Muys Prax. Chirurg. rational. Dec. 4. obſ. 3. pag. 14.* Quâ ratione autem parandæ ſint faſciæ illæ, hinc inde docetur à rerum Chirurgicarum ſcriptoribus, *Hildano*, *Pareo*, *Sculteto* & aliis. Fiunt nempe cingula ſive ex corio, ſive panno, imprimis goſſypino, ſive ferro, cum ſcuto ſeu ſplenio locum herniæ comprimente, additis ſubligaculis, tam humeralibus in omphalocele, quàm cruralibus in reliquis herniarum generibus. Elegantisſimum verò bracherii genus eſt, quod Civis quidam Francofurtenſis parat & in *Chirurgia* Dn. *Jünckii pag. 188.* reperitur, quod loco ſplenii ſeu pulvinaris filum chalybeum ſive ferreum, elateris inſtar, convolutum continet, quò filum ſe extricaturum & explicaturum eò fortius comprimat rupturæ locum. Vid. *Tab. IV. Fig: II.*, in qua *Lit. A A A A.* circulum ferreum aut chalybeum notant (quem hodiè tamen omittunt) in ſuperficie interiore, abdomen attingente, coriô, goſſypio ſuffarcinatô, ſub *Lit. B B B.* munitus, cujus extremitas latior & rotunda C. folliculum E E. partim elaterem D. è filo ferreô paratum, partim ſuberis fruſtillum continentem, tegit, loco ruptionis applicanda: Altera autem extremitas F, unci inſtar incurvata, nodum G. in extremitate latiore excipit faſciamque claudit, cujus ligamenta G G. femora & inguina cingunt, ut faſciculus non facilè loco moveatur. Similia verò ex profeſſo, quod dicitur, conficit Mechanicus Lugdunenſis Orbi literato notisſimus *Johannes à Muſchenbroeck*, penes quem & curioſum illud ad incontinentiam urinæ, alias immedicabilem, feliciter adhibendum bracherium haberi poteſt, quod deſcribit *Nuck in Experim. Chir.*

§. VI.

Antequam verò cingula ad rupturas applicentur, loco prius affecto quædam traumatica & appropriata ad promovendam

conſolidationem adhibentur, ſicut in omphalocele muſcus pruni ſylveſtris, aut globulus plumbeus, quo cervus occiſus fuit, aliaque ſimilia laudantur: In reliquis verò herniis cerata, emplaſtra, unguenta, balſama, olea & ſimilia prius adhibentur: Cerotum v. g. ex pice navali cum Empl. diaſulph. Rul. aut ſimile ex gummatibus c. ſem. ſinapi, quod acrimoniâ ſuâ partium contractionem, viſcoſitate verò conſolidationem promovet: Empl. de pell. ariet. quod inventor ejus *Arnoldus de Villa nova* tantoperè extollit in *Breviar. Pr. l. 30. f. 205.* Ungt. Comitiſſ. Balſ. Sulph. tereb. & hypericat. oleum ovor. lacert. mirabile, quod abſque ullis medicamentis ſolum dicitur ſufficere à *Zvvelffero in Pharmacop. Reg. pag. 216.*

§. VII.

Interea nec interna traumatica ſunt negligenda, tam generalia, ut decocta vulneraria, (quorum neutiquam omninò oblitus fuit *Hippocrates*, ut *Ronſſeus* apud *Wedel. in Amœnit. Mat. Med.* exiſtimat, ſed expreſſam mentionem fecit *lib. de Affect. §. 42. Edit. Foeſ.*) quàm ſpecifica, è quibus agmen ducit Herniaria ab *Hollerio*, qui primus illâ uſus, Holleriana dicta: Perfoliata item, & quæ ob ſignaturam à *Crollio de ſignat. rerum intern. pag. 31.* ſummoperè extolluntur gallæ folliculique foliorum ulmi, qui poſteriores liquorem continent ſummè balſamicum, à famoſo & hornò Romæ denato *Burrho* in reſtituendis humoribus oculorum in ſecretis habitum; quæ omnia vel in forma decocti vel infuſi propinari, vel & Eſſentiæ, Extracta, Tincturæ, aliaque magis compoſita exinde confici poterunt.

§. VIII.

Omnibus autem hisce palmam eripere dicitur nova herniarum cura per arcanum Regis Galliarum (vulgò *le ſecret du Roy*), quo Circumforaneus & Operator quidam Gallus hoc ipſo quidem anno plures in Weſtria reſtituit; quod ut juſſu LUDOV. XIV. Verſaleſii Linguâ Gallicâ, ſubditorum ergò, publicæ luci con-

conceſſum fuit, heîc Latio ſimul donatum Patriæ noſtræ eruditoque Lectori diutius invidere noluimus:

Remede du Prieur de Cabrieres Pour les deſcentes, donné au public par la bonté du Roy.

Remedium Prioris de Cabrieres contra hernias, bonitate Regis publicè deſcriptum.

La doſe eſt differente ſelon les âges, quoyque le remede ſoit le meme & pour les enfans à la mammelle, bien que le bandage ſeul les gueriſſe, il ne laiſſoit pas de leur en donner & preparer ſon remede à la maniere ſuivante.

Doſis ætatis intuitu diverſa eſt, licet unum idemque ſit remedium, etiam pro infantibus adhuc lactentibus; & quamvis ſola ſæpe faſciâ curentur, nil tamen impedit, quo minus & illis remedium ſuum offerat & præparet methodo ſequenti.

Depuis deux ans jusq'à ſix.

A duobus annis ad VI.

Prennez le bon eſprit de ſel bien rectifié trois où quatre gouttes, mélez les dans une cuilliere où deux de vin & la faites avaler tous les matins à jeun vingt & un jour de ſuite.

℞. Spir. Sal. probe rectificati g. iij. vel jv. miſc. vin. cochl. i. vel ij. & propinentur omni mane jejunis adhuc exiſtentibus, per XXI. dierum ſpatium continuando.

Depuis ſix ans jusq'à dix.

A VI. ad X. annos.

Prennez quatre ſcrupules de bon eſprit de ſel, melez le fort exactement dans une chopine de bon vin rouge, en prennez tous les matins environs la quantité de deux onces, en telle ſorte, que cette doſe du-

℞. ⊖ ℈iij. M. exactè cum vini rubri ſextario & omni mane hauriantut inde præter propter ℥ij hoc modo, ut doſis hæc ſeptem diebus continuetur, abhinc reiteretur

re pour ſept jours, aprés lesquels vous renouvellerez le remede jusq' à ce que vous en aiez pris vingt & un jour de ſuite.

de novo remedium, usque dum XXI. dies ſub uſu ejus præterlapſi fuerint.

Depuis dix ans jusq'à quatorze:

A X. ad XIV. annos.

Prennez deux gros du méme eſprit ſur une chopine de vin rouge.

℞. ʒij ejusdem ∼ ad ſextarium vini rubri.

Depuis quatorze ans jusq' à dixſept.

A XIV. ad XVII. annos.

Prennez deux gros & demy du méme eſprit ſur une chopine de vin rouge.

℞. ʒii hujus ∼ ad ſextarium vini rubri.

Depuis dix ſept ans, jusq' à quatre vingt où durant toute la vie.

A XVII. annis ad LXXX. aut ad dies vitæ.

Prennez cinq gros d'eſprit de ſel ſur une chopine de Vin rouge.

℞. ʒv. ∼ ⊖ ad ſextarium vini rubri.

Recept de l'Emplaſtre.

Prennez du Maſtich en larme demi onze, Ladanum trois drachmes, Hypocyſtis une drachme, trois noix de Cypres bien ſechées, terre ſigillée une drachme, poix noire trois onzes, tereb. de Venize une onze, cire neufve jaune une onze, Racine de grande Conſolida ſechée demi onze.

Formula Emplaſtri.

℞. Maſtich. in gran. ℥ß.
Ladan. ʒiij.
Hypociſt. ʒj.
Nuc. cupreſſ. bene ſicc. n. iij.
Terræ ſigill. ʒj.
Pic. nigr. ℥iij.
Tereb. Ven. ℥j.
Cer. nov. flav. ℥j.
Rad. Conſol. maj. exſicc. ℥ß.

Pul-

Pulveriſez ce qui ſe doit pulveriſer & faites cuire le tout en remuant tousjours jusq' à ce qu' il ſoit reduit en bonne conſiſtence d' Emplaſtre, pour vous en ſervir comme il s' en ſuit.

Pulverif. ea quæ ſunt pulveriſanda & coquantur omnia continuò movendo, donec juſtam Emplaſtri conſiſtentiam acquiſiverint, cujus uſus ſequens eſto:

Maniere de traiter les deſcentes.

Methodus tractandi hernias.

Il faut avoir un bon bandage, qui tienne bien ferme, & mettre un Emplaſtre ſur la rupture & deux s' il eſt neceſſaire, aprés avoir rasé le lieu, où on le doit mettre.

Ad manus ſit faſcia conveniens & firma, ac herniæ applicetur emplaſtrum ſive ſimplex, ſive duplex, ubi neceſſarium videbitur, dummodò locus, cui imponi debet, primùm fuerit deraſus.

Il faut prendre remede à jeun.

Remedium jejuno ſtomacho hauriendum.

Il faut battre la bouteille devant que de verſer le vin dans le verre.

Lagena ante ſuccutienda, quam vinum exinde vitro infundatur.

Il faut apres en mettre trois doigts dans le verre & l' avaler.

Abhinc ejus ad eminentiam 3. digitorum vitro infundatur & abſorbeatur.

Il faut ny boire ny manger que quatre heures aprés avoir pris le remede.

Nihil quicquam ſive edendum, ſive bibendum, niſi elapſis 4. ab aſſumto remedio horis.

Il faut en prendre vingt un jour: s' il fait mal à l' eſtomac, on peut étre un jour ſans en prendre & méme deux en cas de beſoin.

Sumendum illud eſt per XXI. dies; quodſi verò ventriculus inde malè ſe habeat, uno vel altero, (ſi opus fuerit) die, abſtineatur.

Pendant qu' on prend le reme-

Durante uſus tempore noctes

de, il faut porter le brayer jour & nuit, ne jamais s'aſſeoir, être tousjours debout où couché, marcher beaucoup, n'aller point à cheval, en caroſſe, ny en charette, aller toujours à pied où en bateau, ne faire aucun exces de bouche ny autre.

Il faut porter le brayer trois mois apres les vingt un jours du remede, jours & nuits.

Il ne faut monter à cheval qu'apres les trois mois & quand on y montera, il faut encore porter le brayer, autant qu'on croira en avoir beſoin pour laiſſer affermir la partie.

A Verſailles.

De l'Imprimerie de Francois Mugeut, premier Imprimeur ordinaire du Roy, eſtablie par ordre de ſa Majeſté, à l'ancien hoſtel de Seingelay, An. 1686.

atque dies bracherium portandum, nec unquam ſedendum, ſtandum ſemper aut cubandum: Multum eundum, non equitandum, nec curru vel rheda vehendum, pedibus ſemper aut navi eundum, neque ullus in cibo & potu neque alius in diæta error committendus.

Bracherium tribus à XXI. diebus remedii menſibus noctu æque ac interdiu eſt portandum.

Nunquam equus conſcendendus, niſi elapſis tribus menſibus, & ſi quis conſcendere velit, eo usque adhuc bracherium eſt gerendum, quamdiu ad partem conſolidandum quis opus eſſe judicaverit.

Verſaleſii.

Ex officina typographica *Frwnciſci Mugueti*, Typographi Regis prim. & ord. juſſu Regiæ Majeſtatis erectâ ſub ſigno veteris palatii de Seingelay. Anno 1686.

§. IX.

Hactenus prima ſecreti Regii deſcriptio, quam totidem verbis repetiêre Curioſi, in ædibus Dn. Abbatis *Roquii* ſingulis hebdomatibus convenientes & Ephemerides Gallorum curioſas, vulgò *le Journal des ſçavans*, colligentes, in alio haud abſimili *Diario Medico*, cui

cui Tit: *Le journal de Medecine, Menſ. April. An. 86. Artic. 11. p. 152.* ut & Auctor libri Gallici: *Diſſertation ſur la goutte tant la chaude que la froide à Paris 1689.* Quin in tota fere Gallia magnoperè hâc curâ ſibi plaudunt, licet primam ejus inventionem haud immeritò Germaniæ, imò Haſſiæ noſtræ, vindicare poſſimus: Manifeſtiſſima enim ejus veſtigia invenimus in *Hartmanni* (Profeſſoris quondam Marpurgenſis) *Praxi Chymiatrica*, ſub initio hujus ſeculi jamdum conſcripta & cum Præfatione *Dn. D. Michaelis*, Chymici & Practici Lipſienſium famigeratiſſimi, A. 1633. evulgata, in qua *pag. 168.* mentio fit arcani ſeu balſami ⊖ gemmæ, quo non tantum externè, ſed & internè quotidie ad gtt. 2. utitur, eodem fere, quo Galli ſolent, regimine; quam quoque curam (cum ea, quæ cum -^- ⊖ fit, omninò convenientem) pro ſummo in rupturis arcano habet. Quin & *Mynſichtus*, in Pharmacopoliis æque ac Medicorum ſcholis receptisſimus, -^- ⊖ coagulatum, ex -^- ⊖ & ⊖ abſinth. conſtantem, ad herniarum curam extollit in *Armament. Medico-Chym. Sect. I. pag. 22.* ut optimo hinc jure ſtatuere liceat, ſecretum hunc hernias curandi modum non tam à Gallis, quàm potius à Germanis inventum dudumque in pretio fuiſſe habitum.

§. X.

Quâ ratione verò quove operandi modo -^- ⊖ ſive rectificatus ſive coagulatus tantoperè ad curandas hernias conducat, illud eſt, quod disquiſitione non indignum videbatur. Operator ſupra allegatus, in diſcurſu cum amico mihi familiarisſimo, hoc à particulis -^- ⊖ acutisſimis, rupturæ locum primùm vellicantibus, mox excoriantibus & elapſo nutrimento proprio callum generantibus tribuebat: Aſt dubium omninò eſt, an -^- ⊖ acrimonia hac adhuc gaudens ad locum affectum devehatur, cùm partim vehiculo, quo aſſumitur, copioſo diluatur, partim & à particulis ſanguinis oleoſis obtundatur, ut vix credibile ſit, eundem integrum adhuc & immutatum eò devenire; & quâ ratione probabitur eundem proceſſum peritonæi magis quam alias excoriare partes? Majore ergò probabiliate gaudent Curioſi Ephemeridum Gallica-

rum

rum Collectores, qui *Tract. ſupra allegatô* è principiis mechanicis illud diluunt, ut ~ ⊖ vi ſua diuretica ſerum ſuperfluum è M. S. præcipitando ſanguinem magis ſpiſſum efficere exiſtiment, ut partes affectæ fibræque liquore magis conſiſtente nutritæ ac firmiores redditæ ſe contrahere & in ſitum naturalem vindicare queant; verba illorum ita ſonant:

REFLEXION:

Pour expliquer, comment ce remede opere, on pourroit dire, que l' Eſprit de ſel dechargeant le ſang de la ſeroſitè par les urines, le rend plus èpais & que les parties malades penetrèes & nourries d' une liqueur qui a beaucoup de conſiſtence, deviennent plus dures & plus ſerrèes, comme une corde imbibèe d' eau reſiſte mieux & tire d' avantage, que quand elle eſt ſeulement d' air, ainſi les parties relachèes ſe remettent dans leur ètat naturel. In quibus ultimis verbis utuntur ſimili à fune humectato deſumto, qui ab imbibitis particulis aqueis ſe contrahit & pondera ſibi annexa fortius attrahit, unde noſtris temporibus hygrometra exinde parant Eruditi, qualia in *Collegio*, quod propediem aperiemus *Experimentali* D. V. Curioſis ob oculos ponemus, qui de illis interea lib. Gallicum, cui Tit: *Traitè de Barometres, Thermometres & hygrometres*, it. Anonymum Gallum in *Curioſa virgæ Mercurialis deſcriptione* & *Sturmium* in *Collegio Curioſo* alioſque conſulere poterunt.

CAP. V.

DE CRUENTA HERNIARUM CURATIONE.

§. I.

UT duro nodo durus quærendus eſt cuneus, ita ſi neque ligamentis neque medicamentis ſimul adhibitis cedant herniæ, ad

ad ferrum & ignem tandem accedendum erit, ſiquidem juxta Poëtæ monitum:

Ut corpus redimas, ferrum patiaris & ignem.

Quæcunque enim medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet, *Hippocr. Aphor, 6. Sect. VIII.* Ad quos autem ſpectent violentæ illæ herniarum curæ, non ita planum eſt. Medici ſanè vi *juramenti Hippocratici* easdem tentare non audent, niſi enchireſes ejusmodi Chirurgicas ex profeſſo ſimul & didicerint & exercuerint, more Belgarum & Helvetiorum nonnullorum, *Muralti* cumprimis & *Pfiſteri* Helvet. *Weſemii* Francofurtenſis, *Muyſii* Medico-Chirurgi Arnhemienſis, *Cornelii van Solingen* Medici & Embryulci Hagienſis, *Cypriani* Med. & Lithotomi Friſii, qui & honori ſibi ducunt, enchireſes Chirurgorum graviores exercere, iisque multas ſimul divitias ſibi comparatas honeſtisſimo ſanè & æquisſimo jure posſident. Noſtris verò in locis herniarum ſectiones Empiricis, Carnificibus & Circulatoribus vulgò deferuntur, quibus Chirurgum peritum hanc Chirurgiam relinquere jubet *Chalmetæus in Enchirid. Chirurg. Cap.* LIV. *pag.* 159. Aſt miror Galium hunc & ipſum Chirurgum in ſententiam hanc abſurdisſimam concedere, ſiquidem operationes hæ, ſi quid aliud, Chirurgo verè tali conveniunt, nec ullo modo ab objecto Chirurgiæ ſeparari poſſunt. Barbam ſanè ponere, turundam ulceri vel vulneri intorquere, aut emplaſtrum applicare non efficit Chirurgum in arte peritum, ſed & reliquas magis arduas operationes ſibi familiares reddere tenetur. Aſt quam rara avis, in Germaniâ cumprimis, Chirurgus ejusmodi conſummatus? Hinc in puerperio difficiliori aliisque caſibus ſubitaneis multâ ſæpe curâ multisque ſumtibus aliunde viros in arte peritos adſciſcere cogimur, cùm in tanta tonſorum balneatorumque abundantia, ſumma nihilominus Chirurgorùm ſit annona. Rerum ſanè publicarum intereſſet valdè, ſi ſtipendiis ſufficientibus alerentur & ad Exteros mitterentur ſubjecta habilia, quo in Noſocomiis undi-

que celeberrimis omnes Chirurgiæ partes ex aſſe condiſcerent-herniarum, calculorum, cancri aliorumque tumorum periculoſorum ſectiones obſervarent, ne famoſis illis carnificum pullis vitam ſuam atque corpus amplius committere cogerentur ægri. Sine dubio hoc in cauſâ fuit, cur Lutetiæ Pariſiorum hyemali æque ac æſtivo tempore à Profeſſore Chirurgiæ Ordinario Dn. *du Verney* in Chirurgorum gratiam lectiones Anatomico-Chirurgicæ, in vernacula habendæ, inſtitutæ ſint, quò agmine facto ultra 100. Chirurgos ſæpe concurrere vidi.

§. II.

Cæterùm duplici viâ incedunt illi, qui ad hernias ſectione curandas animum æque ac manum applicare ſolent, unâ vulgari CASTRATORIA, alterâ verò magis artificiosâ, quam punctum aureum appellitant. Illa rudis eſt & haud ardua enchireſis, quam licet indiscriminatim adhibeant circumforanei, ad eandem tamen non æque facilè deveniunt Medici Chirurgique conſcientioſi, moti rationibus ab *Ammanno in Paræneſi ad Diſc. p. 427.* adductis; quin ad evitandam ſterilitatem alteram potius viam eligunt, niſi inveterata ſimul ſarcocele adfuerit, aut teſticulus gangræna, cancro aut aliâ quavis corruptelâ infectus fuerit. His ergò in caſibus operatio ſequenti modo inſtituitur: Reſupinato & firmiter ligato ægro repoſitisque inteſtinis aut omento, abdomen circa locum affectum digitis fortiter comprimatur, ne inteſtina per eundem regurgitent. Poſtmodum teſticulus ejusdem lateris ad inguen propellatur & ſuper eundem vel in inguine vel in ſcroto ſectio fiat, illæſo tamen proceſſu. Abhinc circa initium proceſſus retinaculum ferreum (vulgò der Bruch-Kloben) in ultima *Sculteti* editione depictum applicetur, & immisſis 2. digitis vaginalis tunica à partibus vicinis divellatur, ac una cum teſticulo vaſibusque ſpermaticis extra ſcrotum protrahatur. Tandem proceſſus, quàm altisſimè fieri poteſt, funiculo aut crasſiori filo incerato ligetur, ipſeque teſticulus infra ligaturam aut ſtatim abſcindatur, aut (quod malunt alii) ſpontaneâ corruptione emori ſinatur, adhibitis ſimul defenſivis & traumaticis ſolitis.

§. III.

§. III.

Altera herniarum ſectio, quam PUNCTUM AUREUM appellant, ſuccinctè non minus, quàm accuratè deſcribitur à *Nuckio Experiment. Chirurg. XXXV. p. 106.* Fit nempe dupliciter, vel cum, vel ſine filo aureo. Illic reſupinato ægro & inteſtino repoſito, inciſio fit more conſueto & ſeparatus proceſſus à partibus circumjacentibus filo aureo trajicitur, quod proceſſum bis circumvolvat, quò inteſtinis via, hoc modo anguſtior reddita, præcludatur. Cavendum tamen, ne conſtrictio nimis arcta ſit, quùm vaſibus ſpermaticis, in pueris ſucceſſivè creſcentibus, neceſſarium adhuc ſpatium relinquendum ſit. Factâ tandem circumvolutione fili extremitates forcipis ope intorquendæ aut globulis muniendæ, ne cuſpidibus ſuis inteſtina lædant. Hoc ut evitent alii, loco fili aurei ſericeo quadruplicato aut alio craſſiori incerato utuntur, quo circumvolvatur proceſſus, & in eo latere, quo ruptus aut laxatus eſt, ſimul ſcarificetur, ac adhibitis adſtringentib⁹ & conſolidantib⁹ abdomini conſolidetur.

§. IV.

Vltima herniarum cura, Veteribus magis quam Modernis uſitata, Vulcani ope per CAUTERIA fiebat, tam actualia, quàm potentialia. Priora laudat *Avicenna Canon. lib. 3. Fen. XXII. Tr. l. c. p. m. 740. II. f. 59. col. 2.* Ægro ſcil. rectè collocato teſticulus ſupra pectinis os urgeatur & notatâ teſticuli circumferentiâ eoque reducto in medio notæ transverſaliter applicetur cauterium incurvatum toties, donec ad os pectinis perveniatur, vulnus abhinc more ſolito tractando. Quia verò operatio hæc & Medico & ægro terribilis eſt, hinc *cauterium potentiale* ex calce cum ſapone & arſenico conſtans adhibet idem *Guido*, quod cum adhibendi modô fusè deſcribit *ibidem*; ſed & hic modus ſummè dolorificus plurimisq; incommodis eſt obnoxius, quibus licet convenientibus remediis occurrere doceat, adeò tamen in deſuetudinem abiit hæc cura, ut noſtris temporibus quamplurimis ne per ſomnium quidem in mentem veniat, nedum mentio ejus fiat in Scriptis Chirurgorum.

APPENDIX
DE
METHODO GALLORUM SALIVATORIA,
Pariſiis in noſocomiô invalidorum, vulgò AUX INVALIDES, uſitatâ & è Linguâ Gallicâ in Latinam traducta.

PRÆPARATIO *PANACEÆ MERCURIALIS,*

ad curationem diverſarum Luis Venereæ Specierum, tam inveteratarum, quàm recentium, Scorbuti, Rheumatiſmi & Obſtructiorum variarum neceſſariæ.

Rec. Cinnabaris q. v. Pulveriſetur in mortario marmoreô, cum piſtillo vitreô, M. cum anaticâ portione limaturæ ♂ optimè depuratæ, mixturam hanc immitte retortæ bene loricatæ, ita ut ad pollicis à ſummitate diſtantiam repleatur: Retortam hanc committe furno exiguo reverberatorio ejusque collo adapta recipientem, aquâ plenum, quibus lutatis, ignem in furnô gradatim accende, ut ſucceſſivè & pedetentim retorta incaleſcat, & cinnabaris tantùm non omnis in ☿ currentem ibit & prodibit: Solve retortam & à lutô libera aquaque effuſâ, exſiccą ☿, trajiciendo ſæpius per linteum ſiccum atque mundum; abhinc duabus aut tribus vicibus exprimatur per corium & immittatur matracio vitreo, una cum ſale optimè depurato ac acetô deſtillato: Addatur nova ſalis & aceti deſtill. quantitas, agitentur ut antea, hocque tribus vicibus reiteretur.

Mercurius ita depuratus & exſiccatus inſeratur retortæ vitreæ, deſuper tantundem 🜍 ☉ optimi infundendo & applicatô recipiente deſtillentur omnia ex igne arenæ, ad ſiccitatem usque, donec

nec in fundo retortæ ☿ in forma ſalis remaneat, ⌒ ⊙ ſummè fixatô.

Ponderetur ☿ ita præcipitatus & in mortariô comminuatur, cum anaticâ portione ⊕ ad albedinem calcinati & tantundem ſalis exſiccati; quam mixturam aut in cucurbitâ, aut in matratiô, arenæ, laminæ aut catino propinquæ, imponas, oportet, & ſi cucurbitam ſumſeris, humilis illa & alembico ſuo tecta ſit. Detur ignis ſublimatorius, obſervando gradus, donec omnis Mercurii ſubſtantia ſublimata fuerit, quæ in materiam cryſtallinam in ſummitate æquè ac lateribus vaſis coagulabitur, quæq; decutienda eſt, poſtquam ipſum vas ignito ferrô abſciſſum fuerit; huic ſuper porphyrite benè comminutæ junge ana ⊖ puriſſimi & probè exſiccati & dimidiam quantitatem ⊕ ad rubedinem calcinati: Sublima ſecundâ vice, donec ☿, ut primâ vice, in elegantiſſimâ formâ cryſtallinâ adſcenderit, quem denuo, cum æquali novoque ⊖ purificati pondere comminue & ſublima ut anteà, quinquies idem repetendo, ita ut (priores duas cum ⊕ includendo) ſeptem ſublimationes interceſſerint. Octavâ autem ſolus pulveriſetur & ex furno arenæ in matracio ſublimetur. Finitis autem ſublimationibus, in vitro puriſſimo & optimè munitó ☿ ≏ elegantiſſimus aſſervandus eſt.

OPERATIO II.

Rec. Tertiam ſublimati ſupradicti partem, ut cum Reg. ♁ optimó reſuſcitetur; ita q. ut ſi ☿ ≏ lib. j. ſumſeris, Reguli ℥iv. addendæ ſint, quibus ſeparatim & ſeorſim in pulverem redactis probeque commixtis, omnia conjunctim retortæ indantur & ex ∴. Igne gradatim deſtillentur. Primò quidem ſubſtantia ♁ regulina prodibit, quæ butyrum ♁ vocatur: Subſequente ☿ optimè purificató, qui ſeparandus, benè lavandus & ſiccandus, mediante linteo puró atque ſicco, eundem poſtmodum tribus aut quatuor

 vicibus

icibus per corium trajiciendo & in phiolâ optimè obturatâ conſervando.

OPERATIO III.

Rec. Sublimati hujus ante reſervati & muniti ℥xij, pulveriſentur in mortariô marmoreô, cum piſtillô vitreô, & quamprimum in pulv. ſubtilisſimum redactus fuerit, adde ☿ ex ♎ hoc reſuſcitati ℥viij. ſuccesſivè quidem & petedentim admiſcendo, agitentur omnia & triturentur, donec ☿ exſtinctus & mortificatus fuerit, ita, ut ne atomus ☿ vivi amplius appareat. Pulverem hunc in matratio ∴ committe, deſuper capitellum applicando, ſubdatur gradatim ignis per x. aut xij. horas, donec ☿ omnis elevatus & ad ſummitatem vaſis ſublimatus obſervetur; hoc factô ignis emoriatur vasque deſtillatorium refrigeſcat, quod refrigeratum rumpendum & ☿ ſeparandus, qui in ſubſtantiam compactam, ſolidam & chtryſtallinam ſublimatus erit, quam optimè à farinâ inutili, ipſi incumbente & ☿ vivi particulis, ſi quæ illîc fuerint obſervatæ, liberabis & ſublimatum hoc in mortariô marmoreô, cum piſtillô vitreô denuò pulveriſatum, ſecunda vice ſublima, ſeparando ſemper farinam inutilem & terreſtreitatem in fundô remanentem; quæ pulveriſatio & ſublimatio ad minimum novem diſtinctis vicibus repetenda & continuanda erit.

OPERATIO IV.

Tandem ℞. Sublimatum tuum & ſuccesſivè ſuper porphyrite (qui una cum curſore ſuo mundus ſit) præpara, pulveriſando eundem quam optimè & quamdiu fieri poterit & continuando idem, donec omnia probè alcoliſata fuerint; pulv. hunc lagenæ vitreæ, orificii paulò ampli, immitte, infundendo deſuper Spir. vin. optimè rectificatum & cinamomo, macere, caryophillis, corticibus citri & ambra gryſeâ aromatiſatum, qui ad 3. dig.

dig. altitudinem emineat: Agitentur omnia & poſtquam Spir. vin. ſubtilisſimâ parte aromatum imprægnatus erit, lenisſimâ inclinatione in matratium quoddam ope infundibuli vitrei decantandus erit: Pulveriſatis denuò in fundo lagenæ reſtantibus, eundem Spiritum vini aromatiſatum reaffundere perge, qui à particulis ſubtilisſimis in matratio ſubſidentibus ſeparandus primum erat; & ita continuando laborem hunc omnis materia in atomos, cum Spirit. vin. in matratium abeuntes, immutanda erit.

Hôc factô obtura accuratisſimè matratium obturaculo vitreô & expone temperatisſimo calori in ∴ per 15. dierum aut (quod melius) trium hebdomadarum decurſum. Elapsô hoc tempore exime vitrum & probè agita Spirit. vin. cum pulvere eumque cucurbitæ nonnihil humili infunde, cui alembicum cum recipiente applica, luta & deſtilla leni igne, & omnis Spirit. vin. purisſimus & clarisſimus prodibit, qui vel eidem vel ſimili operationi inſervire poterit.

In fundô cucurbitæ autem reſtabit PANACEA MERCURIALIS optimè parata, quæ vaſi cuidam vitreo puro probeque munito immittenda erit. Hæc ipſa remedium admirandum contra quamplurimos morbos conſtituit, ſpeciatim verò Luem Veneream omnis generis, inveteratam æquè ac recentem, cujuscunque m. ſit naturæ omniaque ejus accidentia: Non minus Scorbutum, Rheumatismum, Obſtructiones varias, omnium & ſingularum corporis partium, ut & ulcera antiqua. Datur eadem Infantibus æquè ac adultis, ad enecandos vermes: Ad curandas varias ſcabiei ſpecies vitiaque cutanea. Paucis: Remedium illa ſpecificum conſtituit plurimorum affectuum incognitorum, quùm genuinum ſanguinis mundificativum conſtituat uſusque ejus, cautè & cum judicio, adminiſtratus nulli unquam detrimentum aliquod aut noxam inferat.

Solus & unicus utendi modus, isque in omnibus ſupradictis morbis haud vulgaris, eſt, ut è Panacea, in mortario vitreo cum

piſtillo

piſtillo ſuo, una cum ſelecto atque ſincero gummi tragacantho, in ▽. roſar. aut flor. aurantii ſoluto, maſſa quædam fiat, indeque grana inſtar confectionum variæ magnitudinis confiant, ita tamen, ut maxima pilula non ſuperet 4. frumenti grana.

PANACEA UNIVERSALIS.

Fiat bonus ſublimatus corroſivus, ſolitô quidem, aſt eô modô, ut ter vel quater ad minimum ſublimetur cum ſale benè præparato atque vitriolo, renovando hæc ſub qualibet ſublimatione; quem ſublimatum ipſi parare neque communi apud Trochiſtas vel Thraſones venali fidere debemus, quùm facilè particulis arſenicalibus adulterari poſſit.

℞. ergò *ſublimati hujus lib. iij.*
Regul. ♁ *optimi lib. j.*

quæ, ſeorſum prius pulveriſata, miſceantur invicem & retortæ, materiæ proportionatæ, injiciantur, hacque cum recipiente lutatâ, deſtilletur butyrum ♁ more ſolitô, quod tribus vicibus rectificandum, mutando vaſa ſub qualibet rectificatione.

Ponderato butyro ♁ (quod purum, ſincerum & in conſiſtentia olei inſtar clarum eſſe debet) adde duplum cryſtallorum ♀, albicantium & optimè depuratorum, quot non minus ipſi parare debemus, cùm cremori ♀ apud Trochiſtas venali ſæpè calcem immixtam obſervemus. Hos ergò in pulv. redactos miſce cum butyrô ♁, in vaſe vitreô cum piſtillo ſimili. Omnibus probè commixtis ſibique mutuò incorporatis, maſſa hæc matratio grandiori, colli ſatis longi, immittatur & aquæ pluviæ deſtillatæ quadruplum ſuperinfundatur. Vitro cum obturaculo ſuo vitreo probè munitô & occluſô calidæque arenæ impoſito, ſubdatur ignis gradatim, ut ſucceſſivè & paulatim incaleſcat, donec bulliat, id quod

quod per 8. horas continuandum, adfundendo poſtmodùm ꝏi ♀ per deliquium puri & filtrati tantum, quantum de cremore aut cryſtallis ♀ ante ſumptum fuerat. Hæc invicem juncta filtrentur calidè, colatura in cucurbitâ vitreâ aut terreâ evaporetur pedetentim ex ∴ igne, ad ſiccitatem usque, agitando & movendo omnia in ſine ſine intermisſione, ne ſal in fundo comburatur. Tandem ſal aut materiam hanc ita exſiccatam in conchis aut ſcutellis vitreis quamplurimis aëri expone, idque noctu, tempore ſerenô & interdiu in cellâ, & omnia in ꝏ ſeu liquorem crasſiuſculum convertentur, qui denuò exactè filtrandus & in lagenâ vitreâ, ſimili obturaculô munitâ, aſſervandus eſt.

Remedium hoc verè & non ſine ratione PANACEA UNIVERSALIS dici poteſt, cùm citò, tutò & jucundè ſuperfluos & corruptos humores, functiones corporis vitales impedientes, evacuet, curetque perfectè & ſine recidivâ morbos ſummè contumaces, qui remediis alioquin ordinariis vix curari poſſunt, quales ſunt apoplexia, lethargus, hydrops, febres continuæ & intermittentes, &c. verbo dicam: Emeticum eſt blandisſimum.

Doſis ordinaria, ſi benè præparatum eſt, in formâ liquoris ſunt 13. ad 18. guttæ, ad ſummum, in perſonis à 20 ad 60. ætatis annos, tam juvenibus, quàm ſenibus proportionaliter: quæ doſis plùs minus iteranda eſt, pro morbi magnitudine. Datur autem in vino aut ſimplici aut ſaccharo edulcorato, in juſculo, cereviſiâ, aut ſimili vehiculô, idque qualibet diei horâ quandocunque necesſitas efflagitaverit.

Sumptô autem remedio hocce, ægro propinandum eſt juſculum pingue & calidum, effluxâ poſt aſſumtionem ſemihorulâ, repetendo id duabus aut tribus vicibus ad facilitandam operationem, quæ ἄνω καὶ κάτω evacuabit humores viſcoſos, fundo & lateribus ventriculi adhærentes, qui pluribus ſæpisſimè affectibus originem & fomitem ſubminiſtrant.

O Ut

Ut autem æger ad curam Luis Venereæ ejusque remedium præparetur, neceſſum eſt, ut ſemel aut bis ſibi venam incidi curet & abhinc binis diebus effluxis purgatione corporis utatur; primô ſcil. die propinetur illi infuſio ſenæ, cum ſyrupo roſarum aut florum perſicorum & ſale vegetabili: Omnia pro ratione ſtatus & violentiæ ipſius morbi.

Secundo die eôdem medicamento purgetur, infundendo ſimul jusculo, quod binis abhinc horis illi dandum, 15. guttas Panaceæ univerſalis, à quâ tamen, sîs, abſtinere quoque poteris. Hoc factô poſtridiè de medicamento, illi deſtinato, primâ ſcil. vice 10. grana ☿, tempore matutino & veſperi 5. vel ultra, ſi è re fore viſum fuerit, dabis.

Secundo die mane gr. xv. & veſperi gr. viij. dentur.

Tertio die mane gr. xx. veſperi gr. x.

Quarto die mane xxv. gr. & veſperi xv. ſi placuerit. Ita indies adſcendere poterimus, donec fluxus oris ad menſuram devenerit, aut fluxus ventris, eidem quantitati reſpondens, acceſſerit.

Quodſi alter ex hisce diminutus fuerit, priusquam ſymptomata Luis evanuerint, repeti poſſet uſus ☿, incipiendo à doſi præcedenti, ipſi ultimâ vice propinata eamque continuando, donec evidentia ſigna perfectæ curationis ſe truserint Sin verò fluxus oris aut ventris nimis urgeant, æger, prout è re viſum fuerit, purgandus erit: Et ſi quantitate ☿ ad curandam Luem ſufficiente datâ ſymptomata ejus neutiquam evaneſcant, aut ſi emanſerint, effluxô poſtmodùm quodam intervallô recurrant, absque ullâ hæſitatione ☿ de novò propinandus erit, licet neque V. S. neque purgatio fuerit præmiſſa, balneo ſolum ægrum imponendo. Balneum enim convenientisſimum eſt remedium ad humores magis fluxiles reddendos. Poſt uſum balnei ægro ☿, modô jam ſupra deſcripto, erit offerendus.

Obſerva, quòd durante uſu ☿, expediat magis, ſi æger jusculis & ovis recentibus potius in Diætâ utatur, quàm alimentis ſolidis.

lidis. Neceſſum quoque eſt, ut alternis diebus clyſtere utatur; ad grana autem ☿ ſumenda, jusculo mane & veſperi aliquid panis injiciendum, cui involvenda ſunt illa, niſi quis eadem in confectione quadam aſſumere & deſuper jusculum aliquod haurire maluerit, abſtinendo per tres aut quatuor horas ab alimentis.

❧) (o) (❧

HISTORIA I.

Miles XXXII. annorum, juxta alia Luis ♀ ſigna laborans puſtulis, tumoribus & doloribus in brachiis, remedio hoc uti cœpit die 29. Nov. Ann. 1684.

Die *XXIX. Novembr.* V. S. uſus eſt.
Die I. *Decembr.* ſecundâ vice V. S. adhibuit.
Die II. Purgans hauſit, ex infus. ſenæ, ſyrupo roſ. flor. perſic. & ⊖ veg.
- - III. idem ſumſit & 2. horis effluxis in jusculo 15. gut. Pan. ♄.
- - IV. Manè x. gr. ☿. & veſp. v. gr. ipſi data ſunt.
- - V. Manè xv. gran. veſp. viij.
- - VI. Manè xx. gran. veſp. x.

Die	VII.	Manè xxv. gran.	veſp. x.	hoc die 6 ſedes hab.
- -	VIII.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 6.
- -	IX.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 7.
- -	X.	Manè xxxv. gran.	veſp. x.	ſedes 7.
- -	XI.	Manè xl. gran.	veſp. xv. -	ſedes 7.
- -	XII.	Manè xl. gran.	veſp. xv.	ſedes 6.
- -	XIII.	Manè xlv. gran.	veſp. xv.	ſedes 6.
- -	XIV.	Manè xl. gran.	veſp. x. bina emulſ. vitr.	ſed. 5.
- -	XV.	Nequicquam -	- - - - - -	ſedes 6.
- -	XVI.	Manè xl. gran.	veſp. x.	ſedes 5.
- -	XVII.	- - - nihil -	- - - -	ſedes 6.
- -	XVIII.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 6.
- -	XIX.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 6.
- -	XX.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 4.
- -	XXI.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	ſedes 6.
- -	XXII.	Purgans, ut ſub	initio	ſedes 8.
- -	XXIII.	- - - Nihil.	Perfectè curatus eſt.	

Æger hic univerſim per XXV. dies cura hâc uſus fuit, V. S. bis adhibuit: Ter Purgatione uſus & alternis diebus clyſtere, ſumendo poſt 338. grana ☿, quæ drachmas novem cum gr. x. conſtituunt.

HISTO-

HISTORIA II.

Miles XXVIII. annorum, ex aliis Luis indiciis potiſſimum puſtulis, totum corpus occupantibus, afflictus, curæ ſe ſubjecit die XXIV. Novembr. Ann. 1684.

Die XXIX. *Novembr.* V. S. adminiſtrata.
Die I. *Decembr.* V. S. altera.

- - II. Purgans ſolitum aſſumſit.
- - III. idem medicamentum ſumſit, ſubjungendo, effluxis 2. horis, jusculum, in quô XV. gutt. Panaceæ. Vomuit & alvum ſæpius depoſuit.

- - IV.	Manè x. gran. ☿.	veſp. v.	
- - V.	Manè xv. gran.	veſp. viij.	
- - VI.	Manè xx. gran.	veſp. x.	Salivæ rejecit
- - VII.	Manè xxv. gran.	veſp. x.	hoc die hemin. 3.
- - VIII.	Manè xxx. gran.	veſp. x.	2.
- - IX.	Manè xxxv. gran.	veſp. x.	2
- - X.	- - -	Nihil - - - -	3.
- - XI.	- - -	Nihil - - - -	3.
- - XII.	- - -	Nihil - - - -	3.
- - XIII.	- - -	Nihil - - - -	3.
- - XIV.	- - -	Nihil - - - -	2.
- - XV.	- - -	Nihil - -	hem. 1. ſextar. 1.
- - XVI.	Mane XL. gran. ☿.	veſp. x.	Saliv. quart. 1.
- - XVII.	Mane XL. gran.	veſp. x.	hemin. 1.
- - XVIII.	Mane xxxv. gran.	veſp. x.	- - - 1.

- - XIX.	Manè	xxx. gran.	veſp. x.		hem. 1.
- - XX.	Manè	XL. gran.	veſp. x.		- - 1.
- - XXI.	Manè	xxx. gran.	veſp. x.		- - 1.
- - XXII. - - -	Purgans ordinarium.				dejec. alv. 3.
					c. ſal. hem. 1.
- - XXIII. - -			Nihil - - - -		ſextar. 3.
- - XXIV. - -			Nihil - - - -		quartar. 1.

Convaluit perfectè.

Æger hic XXVI. dies curâ conſumſit: Ter Purgatione uſus: Alternis diebus clyſter injectus. Aſſumſit 448. grana ☿, quæ drachmas vj. grana xvj. conſtituunt.

HISTO.

HISTORIA III.

Miles pro ſignô Lu's Venereæ nodum conſiderabilem in medietate tibiæ, cruris dextri, habens, ſimulque dolores brachiorum & femorum, noctu ingraveſcentium, cum inſomniis continuis perferens, curæ die 24. Julii Anno 1684. ſe ſubmiſit.

Die XXIV. Julii V. S. adminiſtrata.

\- XXV. - - mediante ſena, ſyr. roſ. & flor. perſic. c. ⊖ veg. purgabatur.

\- - XXVI. - - eodem uſus & poſt 2. horas in juſculo xv. gutt. Panaceæ ☿alis, unde 20. vicibus alvum dejecit & vomuit heminam.

\- - XXVII. - - Mane ſumſit gr x. ☿ veſp. v. ſedes. 8.

\- - XXVIII. - - - - - - gr. xv. - - - vj. ſedes 3.

\- - XXIX. - - - - - - - - gr. xx. - - - x. ſedes 5.

\- - XXX. - - - - - - - - gr. xxv. - - - x. ſedes 5.

\- - XXXI. - - - - - - - - gr. xxxj. - - - - ſedes 10. vom. quart. j.

Die I. *Aug* Mane gran. xxx. ☿. veſp. x. ſed. hab. 8. hemin. 1.

\- - II. - - - - - xxx. - - - x. - - 13. - - - 1.

\- - III. - - - - - xxx. - - - - x. - - 9. - - - - 1.

\- - IV. - - - - - - xxv. - - - - - x. - - 10. - - - - 2.

\- - V. - - - - - - Nihil - - - - - - 11. quartar. 3.

\- - VI. - - - - - Nihil - - - - - - 10. - - - - 3.

\- - VII. - - - - - Nihil - - - - - - 2. ſextar. 5.

\- - VIII. - - - - Nihil - - - - - - 11. quart. 3.

\- - IX. - - - - - Nihil - - - - - - 11. - - - 3.

X.

X.	Nihil	ſedes habens	4. vom. ſextar.	5.
XI.	Nihil		7.	5.
XII.	Nihil		12.	5.
XIII.	Nihil		10. hemin.	1
XIV.	Nihil		11.	1.
XV.	Nihil		6. ſextar.	1.
XVI.	Nihil		4.	nihil.
XVII.	Mane gr. xxv.	veſp. x.	Optimè curatus	
XVIII.		Purg. uti ſub initio curæ & 2. horis effluxis juſculum, cum granis xv. Panaceæ.		

Æger hic per XXV. dies ſub curâ fuit. V.S. duabus & tribus purgationibus uſus; alternis diebus clyſterizatus: Deglutiendo 224. gr. ☿, quæ drachmas quatuor, minus 7. gr. ponderant.

DISSERT.

DISSERTA-
TIONES
EPISTOLICÆ.

MICH. BERNH. VALENTINI
DISSERTATIONUM EPISTOLICARUM
Prima,
DE
NATURA ET ESSENTIA NATURÆ
Ad
Robertum Boyle, Nob. Anglum,
è Soc. Reg. Londin.

VIR ILLUSTRISSIME.

DUplici quondam gaudio perfundebar, cùm ſecundâ prorſus aurâ ad Britannos devolutus, in Tui, DOMINE, notitiam pervenirem: Partim, quod ex primô, quô me dignabâris, alloquio, tempeſtivè comperirem, *Sereniſſimum Principem*, DN. ERNESTUM LUDOVICUM, *Haſſiæ Landgravium, &c. &c. Principem meum ac Dominum Clementiſſimum*, è Galliâ fortè reducem, Londinum in *pell mell*, è regione domus Tuæ, divertiſſe: Partim, quòd humanitatem Tuam, ab Anglis olim in Belgiô familiaribus mihi ſæpius deprædicatam, eâ, quâ decet, obſervan-

tiâ, coram ſim expertus. Utrumque ſcilicet non forrè fortuitò, ſed omine mihi felicisſimò contigiſſe, ſæpè arbitratus ſum. Sicut enim illîc Clementisſimo Patriæ meæ Patri devotisſimè in occurſum ruere; Ejusque Serenitatis Comitatui me ſubmisſisſimè commiſcere licuit, ita domum mihi reduci ea ſtatim functio demandata eſt, cujus in ædibus Tuis (quò omnis ſe Natura abſcondiſſe videbatur) ſpecimina vidi ſelectisſima. Quot enim deliciæ, quot heîc arcana latitent, illi nôrunt, qui ex omnibus Europæ terminis eò, tanquam ad Apollinis tripodem, deproperant Eruditi. Norunt id, qui Scripta Tua nôrunt, æternitate digna, quibus de rebus Phyſicis adeò mereris benè, ut (ſine palpo loquor) poſt Magnum VERULAMIUM unicus Philoſophiæ Naturalis Reſtaurator jure meritovè audias. Enimverò neſcio an ulla negligentior olim habita ſit profesſio, quàm excelſa Naturæ Scientia, dum, ut alicubi deploras, à bis mille & retrò annis ne minimas quidem ſenſerit accesſiones; id quod nimiæ partim Anteceſſorum venerationi, partim & experimentorum neglectui verè tribuit JACOB ROHAULT, *in Præf. Tr. Phyſ.* Utut enim felix ſemper æſtimandus ſit, rerum qui noverit cauſas, adeò tamen in ſeculis anteactis illas neglexerunt, ut verbis ſibi illudendo univerſum potius ſcientiæ Naturalis fundum in obſcurô admodum Naturæ nomine collocandum eſſe duxerint.

Hæc ſiquidem eſt, quæ tot qualitatum ſatellitiô ſtipata tantùm non omnes rerum viciſſitudines moderari dicitur. Hæc omninò eſt, quæ ſemper perfectisſimum intendere ac nequicquam fruſtrà putabatur agere, ut parum abſit, quin pro Deâ quâdam adorata ſit. Stoici ſanè & Platonici eandem Numen eſſe ſtatuerunt, quod priores ex mente Divinâ & corpore mundano, poſteriores verò mundi compagem non DEI partem, ſed domicilium eſſe reputàrunt. Sic & Ægyptii Naturam ſub idolo Iſidis venerati ſunt, quam Græci forte Pana, Latini verò Minervam eſſe fingunt. Quid quod admirandæ lectionis Vir, GERHARDUS JOHANNES VOSSIUS, in egregiis *de Ortu & Progreſſu Idololatriæ*

triæ

tris libris, totus ſit in eô, ut omnem Paganorum Idololatriam ex nimiâ Naturæ rerumq; naturalium admiratione profluxiſſe doceat. Hinc quidam è Germanis, ſpeciatim BONTEKOE, WALDSCHMIDIUS, DOLÆUS &c. dudum exoptârunt, ut iſthoc ignavum & omninò ſterile Naturæ idolum ex universâ rerum naturâ prorſus exſtirpetur, ceu ex erudito, quod nuper iniêrunt, *literarum commerciô* videre eſt. Aſt quis id impunè auſit? cum Herculi prius clavam extorqueres, quàm receptam hanc Naturæ notionem vulgo, præjudiciis occupato, funditùs excuteres; neque de nihilo eſt, quod Poëta canit:

Naturam expellas furcâ tamen usque recurret.

Tutius ergò foret ſi, retentô quidem nomine, in naturam ejus & eſſentiam accuratè inquiratur, ne fortasſis plura illi tribuantur, quàm reverà decet.

Et hic, nî fallor, ſcopus eſt *Liberæ*, quam haud ita pridem luci commiſiſti, in receptam Naturæ notionem *Disquiſitionis*, quæ ut varia ſelectisſimæ doctrinæ argumenta ſpirat, ita condonabis Servo Tuo, ſi, quæ in crebrâ ejus revolutione mihi natæ ſunt, meditationes breviter ediſſeram, easque Tuo, *Vir Illuſtrisſime*, judicio & cenſuræ liberè ſubmittam.

A fronte verò cum Interprete Tuo ABERCOMBIO non ſine causâ admiraris, quòd in ſeculô adeò curiosô nemo hactenus ſe truſerit, qui almæ matris Naturæ curam ageret ejusque indolem & eſſentiam ex profeſsó traderet, cùm in operibus ejus & phænomenis explicandis tantùm usque deſudatum ſit. Licet enim celebris per ignem Philoſophus JOHANNES BAPTISTA van HELMONT in *Phyſicâ* (ut Inſcriptio habet) *Ariſtotelis & Galeni ignarâ* operoſus ſit in adornandâ novâ Naturæ definitione, nihil tamen aliud intendit, quàm ut tritam in Peripatô deſcriptionem, more ſibi ſuetô, ſuggillaret, quæ ultrò citròque penſitata non omninò eſt rejicula. Mirandum potius eſt in Ethnico, quòd in plerisque Philoſophiæ ſuæ terminis aliquid abſconderit, quod aliorum placitis

haud prorſus adverſetur & in ipsâ rerum naturâ ſæpè radicatum ſit; in quô tantâ quidem uſus eſt prudentiâ, ut communisſima Rabbinorum ſit opinio, ſapientiam Ariſtotelis è ſcriptis Salomonis derivandam eſſe, quæ ſub Alexandri M. expeditione curæ ejus demandata credunt, ſicut ex plurimis Judaicis Scriptoribus id fusè refert Inclytus BARTOLOCCIUS in *Bibliotheca magna Rabbinica pag. m. 468. & ſeqq.* ubi ſecretisſimam inſimul (quam in fine addo) Ariſtotelis Epiſtolam ad Alexandrum Regem, Diſcipulum ſuum, Curioſis exhibet, quâ ex antiquâ Rabbinorum fabulâ à Judæo convictus & ad Judaismum redactus, omnium ſcriptorum Palinodiam ceciniſſe perhibetur.

Utcunque res ſeſe habeat, adeò tamen ignara non eſt Stagiritæ Phyſica, ut nonnullis videbatur, quamvis in quamplurimis Naturæ phænomenis ſit omninò ſterilis. Singulari nempe ſtratagemate ſe in generalibus continuit ARISTOTELES, eam ſine dubiô ob cauſam, ut nuſpiam non haberet, quô prehenſus elabatur, cujus in conſuetâ Naturæ definitione ſpecimen dedit luculentum. Qualicunque enim explicatione quis utatur, ſemper tamen eò recidit negotium, *Naturam* eſſe *principium motus & quietis.*

Aſt in quô conſiſtat hoc principium, & quâ ratione corporibus naturalibus hunc Naturæ characterem tribuat, illud fortè eſt, quod in Peripatô æquè facilè non deciditur. Quamvis enim communi Scholarum opinione Materiæ atque Formæ, junctim ſumptis, munus hocce tribuant, dubium tamen explicant per æquè dubium, cum materia illîc purè ſit pasſiva, formæ verò quidditas prorſus ſit abſcondita. Majorem verò rebus hisce lucem fœneraris, *Magne* BOYLEE, dum ex duplici mechanismo, uti voeas, macrocosmico ſcil. & corporeô tam univerſalem, quàm particularem corporum Naturam clarè & diſtinctè derivaſti. Quia tamen utrobique nil niſi formam corporum eſſentiaam pro Naturâ venditas, ſeu, ut alibi profiteris, complexionem omnium mechanicarum affectionum, molis puta, figuræ,

ſitus

ſitus &c. hâcque ratione nulla inter formam & naturam ſit diſtinctio; hinc neſcio annon paulò propius ad ſcopum accedatur, ſi non tam ipſum mechanismum, quàm potius inde reſultantem inclinationem, ſeu ut alii loquuntur, propenſionem ad motum pro Naturâ venditemus; quæ immediatum & proximum motus eſt principium, à mechanismô corporum formali poſtliminiò dependens. Quandoquidem enim rerum arte confectarum, horologii, v. g. portatilis, mechanica conformatio non eſt ipſum motus principium immediatum, ſed inclinatio illa, quâ ob mutuum rotularum contactum chalybisque convoluti elaterem ad motum quaſi ſpontè ruunt; ita corporum merè materialium Natura nihil ferè eſt, quàm *Inclinatio* ſeu *propenſio ad motum vel quietem, à mechanicâ partium, tam ſenſibilium quàm inſenſibilium, textura profluens.*

Res exemplis patefiet, ſi per *Triplex Naturæ Regnum* eundo indolem ejus & naturam in ipſis corporum ſpeciebus evolvamus, quæ nullibi non hunc Naturæ niſum arguit. In *regnô* quidem *Minerali* ſingula è fluiditate metallorum clariùs eluceſcunt, eâ nempe minerarum qualitate, quæ primam hominibus in metalla inquirendi anſam dediſſe legitur. Tum enim (ut ex Epicuri mente diſſerit GASSENDUS *Synt. Phil. Epic. pag. 346.*) reperta fuerunt metalla, cum ortô ſylvarum incendio cohærentia radicibus metalla fuére liquefacta, quæ ut nitore ſuó hominum perſtrinxerunt oculos, ita conjecturam adſtantibus induxerunt, poſſe eádem ignis vi metalla quævis liquefieri & in quamlibet figuram efformari. Unde fortè eſt, quod ipſa fuſibilitas omnes minerarum ſpecies diſtinguat, cùm pro majori vel minori liquabilitate ſubterranea in metalla, lapides, terras atque ſuccos dispeſcantur. Cur autem illa fuſibilitas non omnibus indiſtinctè competat foſſilibus, ſed nonnullis mage propria ſit, haud in vanum quæri poſſet? Vulgus id Naturæ tribuit, cujus intuitu quædam in fodinis naturâ fuſibilia dicuntur, von Natur flüſſig: Aſt amabo! qualis

hæc

hæc natura & in quô formalis ejus ratio conſiſtit? fortè in principiô motus & quietis? ſed de hoc ſtatim eadem redibit quæſtio. Nec ☿ Chymicorum, cui fluor ille ſæpiùs adſcribitur, nodum hunce ſolvit, cùm & is fluiditatem ſuam aliunde mutuetur. Quid verò tandem? anne mechanica partium textura in metallis atque ſuccis obvia fuſibilitatis cauſa eſt? Fateor multò propius ſic ad naturam ejus devenitur, modò non tam externa ſuperficialis, quàm interna & formalis innuatur. Dantur enim ex foſſilibus, quæ omninò ſimili ad ſpeciem ſtructura partiumque ſuperficie gaudere videntur, utut non æquè ſemper fuſioni obſequantur. Sic Gemmas quasdam ſpurias in haud paucis Germaniæ fodinis obvias, quas *Fluores* Metallurgi vocant, eandem cum lapidibus pretioſis conformationem obtinere diceres, quibus ſpeciem externam ſi ſpectes, ita videntur ſimiles, ut ovum ovo. Sunt enim, qui flammeô ſplendore referunt carbunculos: Sunt omninò candicantes, adamantem mentientes, Teſte WORMIO in *Muſeo:* Sunt & incarnati, qui rubinum æmulantur: Tandem & cœrulei, ſapphirô prorſus ſimiles, qui Vulcano redditi glaciei inſtar in liquorem abeunt. Gemmæ verò propriè ita dictæ omnem fuſionem reſpuunt, utut diutinâ calcinatione haud minimam tincturæ & coloris ſentiant jacturam. Quodſi jam externa partium textura ſola fluiditatis cauſa foret, nulla in promptu eſſet ratio, cur non & gemmæ pretioſæ ignis fuſionem ſubeant. Oportet igitur ut lapidum metallicorum textura aliquam ad motum inclinationem habeat conjunctam, quæ ipſiſſima eſt Natura, metallicis corporibus fuſibilitatem tribuens. Quæcunque enim hunc Naturæ niſum adjuvant, metallorum fuſionem ultrò promovent: Sicut ex adverſò ea, quæ hanc motus aptitudinem ſufflaminant, ipſam metallorum fuſionem pariter impediunt aut omninò deſtruunt. Sic foſſilia multum ſulphuris continentia difficulter fluunt, cùm particulæ ſulphuris ramoſæ mineralium texturam inhamando hanc ad motum inclinationem plus minus impediant. Quodſi verò ſulphur illud peregrinum diuturnâ toſtione conſumatur,

tur, aut & ea miſceantur, quæ ex aliâ quavis causâ particulas metallorum minutisſimas ab ejusdem vinculô liberare valent, fuſioni facilè obſequuntur. Inde enim eſt, quod Aurifabri metallis durioribus Borracem, Sal Tartari vel aliud corpus alcalinum admiſceant, quæ particulis ſuis acuminatis poros metallorum ſubeundo fuſionem promovent. Ex adversô verò metalla nimium fluida facilè ſuis in terminis coercentur, ſi ſtomoma ferri vel calx viva mineris illorum admiſceantur, quæ fuſibilitatem plus minus inhibere ſolent, de quibus egregiè BECCHERUS in *Phyſ. Subterr. Lib. I. Sect. V. cap. 3. pag. 518*. Plura hîc de reconditâ metallorum generatione eorumque transmutatione dici potuiſſent, quæ, nî fallor, ex eôdem Naturæ fundamentô fluunt, quatenus ſucci metallicis ob diverſam partium texturam ad hanc magis, quàm aliam metallorum ſpeciem inclinant. Cùm verò hæc altioris ſint indaginis & admirandus hic Naturæ luſus in plantarum germinatione clarius elucеſcat, hinc eandem in *Regno Vegetabili* jam pace Tuâ proſequemur, quæ tantùm non ſemper aliquam ad motum inclinationem prodit.

Equidem extra dubium verſatur, omnem *plantarum germinationem* motu quodam perfici, quo ſuccus nutritius in fibrarum tubulos elevatus & ab æthere interfluente jugiter agitatus in ſubſtantiam illarum vertitur, ſicut id MALPIGHIUS, GREW, PECHLINUS & alii curiosè dudum obſervârunt. Unde verò tot exinde ſpecies exſurgant, ut aliæ quidem humi repant & unius noctis fungum præbeant, aliæ ſe in flores induant & in altum emergendo frondes explicent, mox foliis & fructibus ſuperbiant, illud fortè eſt, quod ut abſtruſum hactenus Naturæ opus in ſuſpensô manſit. Sed & hoc facilè expediri poterit, ſi conſideremus in omnibus plantarum ſeminibus jam delineatas eſſe omnes vegetabilium particulas etiam minutisſimas, id quod Nobiliſſ. RAIUS Conterraneus Tuus ex propriâ docet obſervatione, dum in *Methodô Plantarum Novâ Sect. 3. pag. 8.* in omnibus, inquit, quæ unquam diſſecui, idoneæ magnitudinis ſeminibus plantulam ſemina-

lem ſemper inveni, in nonnullis perfectè efformatam, ut partes ejus nudis etiam oculis poſſent diſcerni & digitis à ſe invicem diduci, in aliis minùs perfectam, &c. *vid. TAB. V.* Quemadmodum igitur tenera hæc plantarum ſeminalium ſtamina propriâ & ſpeciei ſuæ conveniente texturâ gaudent, ita credibile eſt illa non in omnem, ſed in eam tantùm, in quam fibrarum mechaniſmô tendunt & inclinant, partem eſſe flexilia, quæ inclinatio ipſiſſima eſt Natura, cui actio hæc vulgò attribuitur. Unde MARCUS MARCI qui in diverſis opuſculis cum Antiquioribus ad neſcio quam virtutem plaſticam, ideas in plantarum ſeminibus ſepultas evolventem inclinat, tandem tamen neceſſum habuit ad leges motus earumq; proportionem confugiendi, de quibus egregiè in *Idearum Operatricium ideâ*, ut peculiari de *Proportione Motus* libro. Paulò verò clarius hæc omnia perſpicimus in eô vegetabilium genere, quæ vel leviter contrectata folia ſpontè contrahunt, ut in *herba ſenſitivâ*, vulgò ita dicta, obſervavi ſæpius. Quamvis enim hæc pariter φαινόμενα Naturæ attributa ſint, attamen ex merâ fortè ſtaminum texturâ, indeque profluente motu illa provenire ſpecioſè nuper admodum oſtendit, non proletariæ, ſed pretioſioris eruditionis Vir, DN. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, itineris quondam Comes exoptatus, nunc in Academiâ Germanorum Curioſâ Collega meritiſſimus, in peculiari *de Herbâ Mimoſâ* diſſertatione: Id quod FRANCISCUS BAYLE Toloſanus Hygroſcôpiô Magnani dudum confirmârat in *Diſput. Phyſ. pag. 63.* Quâ ratione verò ſit contextus hic fibrarum mechaniſmus, ut extimis, quod dicitur, labiis ſaltem attrectata planta ſtatim concidat & mox auſu propriô vela rurſus pandat, à priori, nemo, quod norim, unquam expedivit, niſi quòd Chirurgus Regius Pariſienſis, Monſ. VERDUC, hanc cuidam Amicorum conjecturam aperuerit, quod omnia plantæ hujus ſtamina & fibrillæ unicô ex punctô tanquam centrô quodam exeant, ut eôdem, quo una vel altera vellicatur, ictu & momentô omnibus ſtatim motus ille per conſenſum (abuſivè ita dictum) imprimatur.



Aceris majoris plantula
seminalis convoluta.
explicata.
Raphani plantula
seminalis complicata
explicata

Fig. V.

tur. Majori fortè emphaſi donata ſunt propria Ejus verba, quæ ſequuntur: La ſenſitive eſt composée, comme toutes les autres ,, plantes, des petits tuyaux creux. La diſpoſition ou l'arran- ,, gement de ces tuyaux eſt apparemment la cauſe de cet effêt ,, qui fait noſtre admiration; & pour Vous l'expliquer, je ſup- ,, poſe, que les tuyaux de fueilles partent d'un point, qui tient ,, lieu de centre, qu'ils s'uniſſent enſemble, qu'ils ſont ſouples & ,, enfin que le mouvement, qu'on imprime à quelques uns, ſe ,, communique facilement aux autres. Pari nempe ratione ſunt ,, contexta herbæ ſenſitivæ ſtamina, ac famoſæ nuper lachrymæ ex vitrô paratæ, vulgò die Knapper oder Vexir-Gläſer/ quæ, ut in parte craſſiori mallei quoque ictum ſine damnô ſufferunt, ita in extimô caudæ apice vel levisſimè violatæ magnô cum fragore concidunt & in pollinem diſſiliunt totæ; quòd, ſi quid aliud, in admirationem olim rapiebat Legatos Siamenſes, Lutetiæ Pariſiorum illud annis ſuperioribus experientes, conf. CHAUMONT *aux Voyage de Siam Part. IV. pag. 47.* Verſionis Germanicæ: Quod quidem φαινόμενον ex iisdem ferè cauſis ingenioſè explicat Doctisſimus STURMIUS in *Collegio Experiment. Curioſô Part. II. Tent. VI pag. 92.* & MONTANARIUS in Tract. *Speculatione Fiſiche ſopra gli effetti di que' vetri temperati.* Nec aliter admirandus *Balſaminæ luteæ*, noli me tangere vulgò dictæ, luſus videtur exoriri, cujus folliculi ſeminales leviter attacti grana intus contenta terribili cum impetu displodunt, ac lumbricorum inſtar contrahuntur, quod à ſimili fibrarum texturâ indeque reſultante ad motum inclinatione dependere certum eſt.

Omnium verò maximè hunc Naturæ niſum offert *Regnum Animale*, cùm univerſa brutorum œconomia, vulgatisſimô loquendi modô, ex *inſtinctu Naturæ* proficiſci ſtatuatur. Inde enim eſt, quod brutorum catuli, recentisſimè luci redditi, mox ubera quærant & arreptis papillis lac intus detentum exprimant. Inde eſt, quod tenerrimi gallinarum pulli, vix ovi putamine liberati, milvum deſuper imminentem expaveſcant, fugaque ſibi

conſulendo receſſus quærant & latibula. Inde eſt, quod inſecta varia, novum corporis habitum induendo, ſenectam ſæpè exuant & exuvias aliis pro præda relinquendo quaſi rejuveneſcant, quod ipſum araneis cum ſerpentibus commune eſſe, me nupera domi experientia docuit. Taceo jam alia inſtinctus hujus argumenta, quorum largam ſatis meſſem habet DN. le GRAND *de Carentiâ Senſus & Cognit. in Brutis.* Quid verò ſit inſtinctus hic & in quô conſiſtat ejus operatio, nemo Phyſicorum ex profeſsô docuit, cùm & ſagaciſſimi Naturæ Conſulti altum hîc ſiluerint. Quodſi tamen ab animâ brutorum eundem derivare ament, in eâ quidem concedendâ neutiquam erimus difficiles, dummodò & illud admittatur, ut omninò admittendum eſt, animam hanc, utpote materialem, omnes ſimul actiones in corpore organico materiali ratione exercere, in cujus ferè determinatione omnis difficultas acquieſcit. Sed & hæc facilè ſuperabitur, ſi naturã ejus & eſſentiam ponderavero, quæ ut ab ipſo DEO in ſanguine eſſe dicitur, ita per eandem nihil aliud innuitur, quàm ſeries ſpirituum vit-animalium, nexu quodam amicabili in ſe mutuò agentium, ut ingenioſè docet Inclytus WILLISIUS *Tract. de Animâ Brutorum.* Quemadmodum autem omnes ſpirituum illorum actiones motu quodam peraguntur, ita nullus dubito, quin pro variâ eorundem plicâ & textura ita eorum undulatio determinetur, ut in hunc potiùs, quàm alium inclinent motum, in quô potiſſimum radicatus eſt dictus Naturæ inſtinctus. Interim & organicam partium conformationem ſuum hicce ſymbolum conferre non negavero, quæ omnes ſpirituum actiones, ſi quid aliud, facilitat, ut ex artificioſâ muſculorum combinatione, à BORELLO, MAYOVIO, SPONIO, STENONE aliisque ſeculi noſtri Anatomicis obſervata, in aprico eſt. Adeò enim admiranda eſt muſculorum fabrica, ut eorum adminiculô ab equis ſive canibus, artes varias edoctis, ea ſæpè peragantur, quæ, ſi plebis judicio ſtandum eſſet, neceſſariò aliquam in illis rationem requirere videbantur, utut à merô mechanicô corporis organici habitu ſingula dependeant.

deant. Pari nempe ratione res ſeſe habet cum omnibus brutorum actionibus, ac in *Canibus* Gallorum *Vertumnis*, quos in nonnullis Picardiæ emporiis verua carnibus aſſandis adaptata cum ſtupore vidi circumvolvere; quod tantum abeſt, ut ex aliquâ (ut ita dicam) proæreſi ſit profectum, ut ſummis brutorum ingratiis potius acciderit, quatenus fugam moliendo cribrumque jugiter rotando veru inſimul annexum circumvolvunt. Et hâc quidem, vel ſimili ratione, omnes in œconomiâ animali functiones cum quâdam ſpirituum moleſtiâ fere perfici, defendere ſuſtinuit celeberrimus JOH. DAN. MAJOR, Anteceſſor Chilonienſis, in ſpecioſâ *de Ærumnis Gigantum* Diſſertatione. Non minus in hominibus admirandum eſt, quod habitu membrorum & ingreſſu veſtigia Parentum ita ſæpè legant, ut gradum illorum atque geſtus exactisſimè æmulentur, ab illis licet remotisſimi; quæ, ſi bené me novi, mechanicæ partium texturæ eidemque vel naturâ vel & conſuetudine introducto characteri, h. e. ad motum inclinationi adſcribenda ſunt. Unde nec in microcosmô otioſum prorſus eſſe hunc Naturæ ſtimulum, facilè perſpicitur. Quid quod Anonymus quidam Gallus Artem noſtram Medicam eapropter exſibilare & unumquemvis ſibi ex inſtinctu Naturæ mederi posſe ſuſtineat, in Tract. *Le Medecin de ſoy-même, ou l' art de conſerver la Santé par l' inſtinct.* Imò nec HIPPOCRATES hîc multum diſſentire videtur, dum *lib. 6. Epidem.* Naturas morborum medicatrices eſſe dicit. Et quid *Conſuetudo*, quæ altera eſt Natura, dicit aliud, quam hunc Naturæ ſtimulum, cujus plura hîc exempla dari poſſent, niſi obicem figeret legis vim habens in ſcribendo conſuetudo. Eos ſaltem pace Tua addo, qui annuis Venæſectionibus adſueti tempore adventante circa locum, quo vena tundi ſolet, indicibilem pruritum, lasſitudinem ſpontaneam & neſcio quam moleſtiam (plethoram ad vires olim appellabant) perſentiscunt, ita quidem, ut tempus illud negligendo, (wann ſie es übergehen) ſemelque fixam conſuetudinem inſuper habendo hæmoptyſi, hæmorrhagiis, phthiſi & aliis ſymptomatibus affligantur

gantur: Quæ omnia Naturæ ejusque inſtinctui haud abſurdè tribuunt, qui procul dubio radicatus eſt in tali ſpirituum undulatione, quâ conſuetudine illis introductam ad motum inclinationem actu proſequuntur, atque tempore accedente exitum moliendo V. S. imperare ſolent. Nec aliam fortè cauſam habet dolor atque laſſitudo, quam à menſtruis, ſive præternaturaliter ſuppreſſis, ſive ſeniô adventante ſpontè deſinentibns, in lumborum vertebris ſentiunt mulieres, quæ, nî maturè in medium conſulatur, lernam malorum pariunt.

Cùm verò hæc altioris ſint indaginis, nec ſub calamô præproperè natâ ſcriptione ſingulâ pro meritis ventilari poſſint; hinc aliis ea temporibus reſervans ne verbum ampliùs adjicio, niſi quod *Illuſtriſſimam Tuam Generoſitatem* etiam atque etiam exoratam velim, ut immaturas has de gravi & difficili negotiô conjecturas gratiosè explicet easque non aliô, quàm addiſcendi animô edecumato *Generoſitatis Tuæ* judicio & arbitrio oblatas eſſe credat, quod, ſi quid aliud, hactenus admiratus ſum. Vivum ejus teſtem nuncupo præſentium Latorem DN. HENRICUM MUHLIUM, Tui inſimul honoris cupidiſſimum, eaque propter in Angliam abhinc abiturum, ut linguarum OO. æquè ac rerum Phyſicarum Amatoribus innoteſceret. Amborum enim notitiam haud vulgarem ſingulari, quod meditatur, opere publico comprobabit, quô auſu hactenus nuſpiam tentato plurima Phyſicæ Modernæ veſtigia ex antiquiſſimis Rabbinorum Scriptis derivabit. Quandoquidem verò ex Tua, *Vir Illuſtriſſime*, conſuetudine & ſermonibus multa ſibi compromittat, hinc pro ſolita TIBI Benevolentia Illi liberum indulgebis acceſſum, de quo nullus dubito. VALE, *Generoſè Domine*, & quod facis, gratiosè recordare

D. Giſſæ d. 4.
Febr. An. 1689.

Servi Tui

VALENTINI.

Appen-

Appendix.

Exemplum EPISTOLÆ *ARISTOTELIS* miſſæ ad *Alexandrum Regem,* Diſcipulum ſuum.

Benedictus DEUS, qui aperit oculos cœcorum & dirigit peccatores in viâ, laudetur debitâ laude, qui retribuit mihi miſericordiâ ſuâ ac in multitudine benignitatum ſuarum, qui liberavit me ab extremâ ſtultitia, in quâ hæſi omnibus diebus vitæ meæ, cùm occuparer in Sapientiâ Philoſophicâ, ac dijudicarem omnia intellectuali notitia, innumeroſque in eâ componerem libros; (aufugiant omnes, quotquot intuentur illos) donec in fine dierum meorum diſputarem cum quodam Sapiente ex Sapientibus Iſraelis, qui probavit mihi manum ſuam validam in Lege hæreditate ſibi acquiſita ex Sinai, pertraxitque cor meum in verba Legis, oſtenſis ſignis ac prodigiis in Nominibus ſanctis veris & ſenſui manifeſtis. Ego autem bardus, brutus nihil capiebam, quippe rerum magnitudo ſuperabat intellectum. Cumque hæc vidiſſem, animum appuli, ut quantum poſſem, intelligerem in Lege Judæorum, ut quæ tota fundata eſt ſuper integros lapides, ſecus atque falſa ſapientia Philoſophorum. Itaque cariſſime Diſcipule, Rex magne ALEXANDER, ne in errorem Te Socioſq; Tuos inducant Philoſophorum libri: Quoniam ſi integrum mihi nunc eſſet colligere omnes libros meos per univerſum Orbem diſperſos, igni comburerem, ne vel unus Principum Antiſtitumque oculis ſupereſſet, ipſique perplexi redderentur in hujusmodi ſcientiis. Novi enim graviſſimas me pœnas DEO daturum, quòd ipſemet peccavi pluresque ad peccandum induxi. Quocirca, Fili mi, ALEXANDER, confiteor Tibi omnique Poſteri-

ſteritati quamplurima per intellectum cognita, mendacia eſſe, celſus enim eſt ſuper excelſum Cuſtos. Atque cum fatô meô acciderit, ut libri mei diſſiparentur per Occidentales regiones, ecce palam ac ingenuè judico, nefas habendum legère vel meditari in illis, cum Logica iniquitas ſit, ipſaque Philoſophia mendax. At ecce ego nunc innocens coram DEO, quia inſcienter peccavi. Væ autem illis, qui ſeduli ſunt in iis, rectâ enim via gradiuntur ad infernum. Scito autem, quemadmodum iſta contra Sapientiam noſtram mihi Sapiens ille, ſimiliterque quoque vaticinatum Salomonem, filium Davidis, in Proverbiis ſuis dicendo *Cap. VII:5.* ſervet te à muliere extera, & *verſ. 25.* ne declinet ad vias illius animus tuus. It. *Cap. II. 19.* qui adeunt eam, non revertentur. Væ oculis, qui talia vident, auribus, quæ talia audiunt! Iterum iterumque væ mihi, qui ita inveteravi conſumpſique dies meos in frivolis nocivis rebus, quæ deprimunt, non elevant. Et quod dixiſti mihi nomen meum, quod plurimus conſcripſerim libros, omnes gentes pervagaturum, hosque æternam mihi famam conciliaturos, ita habe, me potius hanc celebritatem in Lege, quàm hæreticorum libris elegiſſe: Quia ſtrangulari magis optaſſem, quàm libros meos ſic divulgatos. Nam qui Legi ſtudent in luce viventium, lucem adibunt, at Philoſophiæ hujus Cultores in infernum commigrabunt: Egoque ipſemet coram omnibus etiam pœnis afficiar. Cæterum antea hæc talia TIBI non ſignificavi, cùm certum indubiumque habuerim, ſi forte excandueris, mihique propterea malum intentaveris, antequam hæc Epiſtola in manus Tuas perveniat me mortuum jam futurum depoſitumque in ligneâ arcâ. Interim pacem ab ARISTOTELE Præceptore, ſepulchrô ſuo jamjam inferendo, Regi Magno ALEXANDRO!

DISSER-

DISSERTAT. EPISTOLICARUM
Secunda,
DE
CONSUETUDINE ALTERA NATURA, ET MORBIS EX CONSUETUDINE REDEUNTIBUS,
Ad
Dn. D. JOH. GEORG. VOLCKAMERUM, Sacr. Cæſ. Maj. Med. Com. Pal. Nob. & Curioſorum in Germ. Præſidem &c.

MAGNIFICE DOMINE PRÆSES, SENEX VENERANDE.

Peccavero dubio procul in ſuetas amicitiæ leges, quòd nullum usque ſpecimen ediderim, quô dudum Tibi debitam à me obſervantiam in publicum conteſtarer: Aſt dabis aliquid Germanorum *Conſuetudini*, qui, quod ſemel ſtatuendum, diu ante in deliberationem vocare ſolent. Licet enim ab eô, quô, variis hinc inde caſibus exercitus, in patriô ſolo pedem fixi, tempore nunquam non animo id ipſum volverim, malui tamen tacitâ piaq; recordatione commodum Tuoq; Genio non indignũ præſtolari argumentum, donec ipſa *Conſuetudo* aurem mihi vellicaverit, & ut mori illi, quo ſcriptis invicem literis ſe Literati venerantur, morem gererem, tandem admonuerit: Cui prolixiori hic ſilentiô obſtrepere piaculo mihi duxi. Quis enim eluderet ejus vim & efficaciam, quæ in omni vitæ genere adeò partes ſuas agit, ut neſcio quam tyrannidem alii vulgò tribuant. Equidem à teneris ſtatim

unguiculis violentiam ſuam exercet, à quibus ut aſueſcere multum eſt, ita ingenio non minus quam annis, etiam adultis, parcere neſcit, quùm omnes ferè artes & ſcientiæ inevitabili huic *Conſuetudinis* jugo ſint ſubjectæ. Quantum enim negotii faceſſat conſcientiis tenerioribus ſueta peccandi libido, illud in SS. Theologiæ ſtudio neutiquam ignotum erit iis, qui vel mediocriter in Caſibus Conſcientiæ enodandis ſunt verſati: & quantæ non efficaciæ ſunt in Forô Conſuetudines, quæ ceu jura non ſcripta communi quoque juri derogare valent. De ſummis verò ejus viribus in rebus Medicis, non eſt, ut multa proferam, quùm non tantùm GALENUS ſuô jamdum tempore, ſed & BARTHOLINUS, BRUNO aliique easdem ex condictô demonſtrârint. De cauſis ſaltem hujus rei haud inutilem quis disquiſitionem inſtituere poſſet, inter quas haud minima, ſi non potisſima, videtur eſſe ea, quod *Conſuetudo* ſit *altera Natura*, & ad inſtar hujus (ſi dicere fas eſt) ſui conſervationem intendat. Quâ verò ratione illud fiat & quomodo conſuetudo vicaria ſit Naturæ, illud à nemine, quod ſciam, ex profeſsô expeditum eſt. Quamobrem haud ægrè feres, Vir CELEBRATISSIME, ſi tribus ſaltem verbis hoc argumenti genus proſequar & quid ſibi velit tritisſimum Philoſophorum axioma, brevibus enucleem, cùm exinde multum lucis fœnerari posſimus rebus Medicis, ab aliis aut obiter attactis, aut ob difficultates ſubterverſantes prorſus derelictis.

In eò verò *Conſuetudo* tanquam *altera Natura* coincidit cum inſtinctu Naturæ, quod in Regno Animali præcipuè ſit conſpicua. Quæ enim vel ruricolæ vel metallurgi de *terræ ſolique conſuetudine* ſæpè garriunt, das Erdreich ſey zu dieſen oder jenen Gewächſen nicht gewohnt / cùm non quævis ferat omnia tellus, illud eleganti us ad mechanicam pororum conſtitutionem externique caloris influxum refertur, quàm Naturæ conſuetudinem. Hæc enim propriè loquendo à principiô motus intrinſecô dependet, ut ipsa natura, cui ſororiâ quaſi cognatione jungitur, adeòque in homine potisſimùm & brutis eſt conſpicua. *Conſuetudo* enim eſt,

qua

qua bruta & ferina & domeſtica *homini* ſenſim *aſueſiunt*, inter quæ priora tamen indolis ſuæ adeò non obliviſcuntur, ut Natura ſæpe conſuetudini prævaleat, eaque ad fugam in inſtiget. Novi enim *vulpium* & *luporum catulos* in Magnatum aulis educatos &, ut videri poterant, ad ſummam manſuetudinem cicuratos facilè recidivam paſſos eſſe & data commoditate non ſine ſpoliis & furto clam ſe ſubduxiſſe. Novi pariter teneros admodum *perdicum pullos* à Gallinis domeſticis enutritos illisque aliquantisper aſſuetos, agmine poſt factô avolaſſe; ut vel inde videamus Inſtinctum Naturæ majores obtinere vires, quem licet expellas furcâ, tamen usque recurret: Quodſi verò is ſive adjuvet ſive facilitet conſuetudinem, non poteſt non junctis Naturæ utriusque viribus altiores in brutorum actionibus radices agere. Hac enim ratione bruta, ſive præmiis inhiando ſive pœnas evitando, *artes* varias addiſcunt, tam *œconomicas*, quàm *athleticas*. Ita quippe canes apportandis è macello carnibus ſolent aſuefieri, quas pendentibus de collo corbibus ſæpe domum ferunt incolumes, modò caveatur ne viſum illorum feriant ipſisque ſalivam moveant. Facilè enim fieri ſolet, ut, dum objecta movent ſenſus, artium ſuarum obliti ad ingenium ferè redeant, ad inſtar *Canis Saltuarii*, mihi non ignoti, qui licet artis hujus dudum fuerit gnariſſimus, adeò tamen non pepercit carnibus ab aliis ſibi occurrentibus moloſſis mordicus detractis, ut potius ſymbolum ſuum in iisdem devorandis masculè contulerit, unde proverbium aulicum ſubnatum: Er friſt mit / wie des Jäger-Meiſters Hund. Tutiores autem ſunt artes brutorum athleticæ, dum ad tibiam vel cantum ſaltare, artem equeſtrem vel alias geſticulationes exercere diſcunt, ut in canibus, urſis, equis & aliis ad luſus & ſpectacula paratis animalibus videre eſt. Tandem eâdem ratione *aves* ſonoræ *cantus*, aliæ verò carnoſiori mobilique magis linguâ præditæ *loquelam* hominum æmulari ſolent, id quod in Corvis, Picis atque Pſittacis haud infrequenter accidit. De *Corvo* Cæſarem Auguſtum è victoria redeuntem his verbis ſalutante: Ave Cæſar, Victor, Imperator! res

nota ex MACROBIO *Lib. 2. Sat. cap. 4.* Quod ipſum de *Pica* referunt quoque alii, quam non tantùm voces, ſed & cantilenas hominum expresſiſſe novit KIRCHERIUS. De eâdem verò MARTIALIS *in Xeniis* ſequenti modo ludit:

Pica loquax certâ Dominum te voce ſaluto;
Si me non videas, eſſe negabis avem.

Sic memini me Pariſiis in hoſpitio *au petit Suice*, ſuburbii S. Germani, olim *Picam* vidiſſe, prætereuntes Gallos exclamatione *parlez donc* elegantisſimè alloquentem, cum ejusdem ſpeciei pullo pro informatione illi addito. Neque enim opus eſt, ut ab hominibus immediatè illa proficiſcitur, ſed & avis avem jugi conſuetudine erudire valet. De *Pſittacis* res etiam in vulgus nota eſt, ut non indigeat uberioribus exemplis. Unum atque alterum inſtar omnium ſufficiant, imprimis illud, quod è CLUSIO habet NIEREMBERGIUS, qui Pſittacum cujusdam Nobilis Gallicâ pariter linguâ garrientem & non ſine riſu inſtar hominis ridentem audivit, ita ut Gallorum verbis: *Riez, Perroquet, riez* admonitus, ridendo reſponderit: *O le grand ſot, qui me fait rire.* Prorſus verò admirandum, quòd de Pſittaco Henrici VIII. Regis Angliæ refert ALDROVANDUS, qui è Regia Sede *Withal* in præterfluentem Tameſin præcipitatus â prætereuntibus ſcapham expresſis verbis petiit, utut viginti libris conſtet, *A both a both for twentye pounds.* Clamore, hoc auditô tandem è canaliculis quidam advolavit eundemque undis ereptum Regi defert, naulum expectans ab ave promiſſum: Rex pro curâ & labore illi ſpondet omne, quicquid ab ave hunc in finem interrogata decretum fuerit: quô pactô utrobique inito avis Nebuloni crucigerum dari jubet his verbis: *Give the Knabe a groat.* Nota non minus eſt hiſtoria de *Pſittaco Principali* famulas cuticulam ſæpe furtivè curantes incuſante, cui in vindictam gutturem inferiorem (ut cum PLAUTO loquar) filô conſuendo obſignaverant, quod ipſum tamen egregiè rurſus prodidiſſe novit. Nullus dubito, VENERANDE SE-

NEX,

NEX, quin hæc & ſimilia anſam dederint Antiquorum fabulis de *Ulyſſe cum brutis colloquente & metamorphoſibus Circeis*, quæ ſæpè neſcio quid ſalis habent, cùm certum ſit Chymiam æque ac rerum naturalium ſcientiam magna ex parte in Poëtarum fabulis esſe abſconditam.

Cæterùm quò facilius eſt φαινομένων jam enumeratorum cauſas inſtitutioni atque conſuetudini tribuere, eô difficiliùs eſt exprimere, quomodo hæc bruta, ratione caſſa, ad inſolitas hujus generis actiones diſponat & habilitet. Facem tamen accendit ipſe GALENUS, qui *lib. ſupra allegato Conſuetudinem* φύσιν ἐπίκτητον vocat, *Naturam aſcititiam* & quaſi inſuper acquiſitam; & hoc ipſum eſt, quod in communi proverbio dicitur: *Conſuetudinem alteram eſſe Naturam*. Quemadmodum igitur ipſa Natura, tanquam principium motus & quietis bruta ad hos vel illos motus indeq; dependentes actiones inclinando vim ſuam exercet, hæcque inclinatio ex apta membrorum diſpoſitione (non excluſâ tamen ſuccorum & ſpirituum vitalium irradiatione) profluit, hinc & ipſa *Conſuetudo*, quæ *altera* eſt *Natura*, animalia ad ſimiles aut easdem actiones œconomicas habilitat jugique exercitio habitum quendam in corpore organico efformat, quô partim agilitatem atque promptitudinem, partim robur aliquod ad has vel illas functiones obeundas acquirendo Naturam ejusque inſtinctum æmulari ſolet. Conſiſtit autem agilitas illa, ſecundum Doctiſſ. VOETIUM *meletem. pag. 73. de hab. corp.* in faciliori ſpirituum motu per nervorum & fibrillarum poros, à crebriori ſpirituum exercitiô dilatatos, unde ipſi ſimiliter musculi per ejuscemodi corporis exercitia crebrius inflati retinent aliquô modô eandem figuram, ex dilatatione ortam, non aliter ac manica ſæpius induta aut retinet figuram manus, aut ſi non retineat, ſed concidat, faciliorem dilatabilitatem conciliat; ſicut & charta ſemel complicata & poſtmodùm explanata facilius ſimilem complicationem ſubit, ad quam aliquam habebat inclinationem. Interea hanc motus facilitatem non tantùm partibus organicis, ſed & fluidis ſpirituo-

ſis, crebro exercitio atque conſuetudine eò diſpoſitis, deberi admodum eſt probabile, dum hâc vel illâ ratione ſæpè influendo quandam quaſi plicam concipiunt in radiis influentibus, haud aliter ac in flammâ gradus quosdam atque plicas obſervamus, queîs poſtmodum facilimè ſolet altum petere. Sic igitur conſpectis ſæpiùs domeſticis *animantia* ſenſim videas *aſueſcere*, quùm ſpecies illorum viſibiles, oculos indies influentes, ipſis ſpiritibus, nervos opticos & vicinas cerebri potiones incolentibus, ejusmodi texturam & ad motum inclinationem affricant, ut abhinc faciliùs illorum ſpecies recipiant, vel ad minimum iisdem minus irritentur, ut à nunquam ante viſis evenire ſolet. Quin non ſolùm ab externis jugi conſuetudine ſenſus incurrentibus objectis, ſed & à *Philtris* naturaliter agentibus idem proficiſcitur. Notum enim eſt, quod buccella panis, hominum ſudore ſub axillis imprægnata canibusque ſæpiùs objecta, ſimilem in iisdem magnetismum excitet, quatenus in ſudore latitantia miasmata eundem, quem in corpore humano obtinebant, motum imprimunt animæ brutorum, ut dehinc illorum veſtigia & odorem libentiùs admitttat, quemadmodum eâ quoque ratione heros dudum amiſſos indagare nôrunt, dum in aëre vel ſolo relictis ab illis effluviis ocyus ſolent affici. Quod autem *feræ* ſemel hâc conſuetudinis viâ cicuratæ facilè ad ingenium redeant & in priſtinam relabantur barbariem, illud inſtinctui Naturæ, Conſuetudini præpollenti, adſcribendum. Haud abſimili ratione *canes*, & *equi* longinquâ conſuetudine *artes* varias addiſcunt, quatenus & membra corporis organici & ſpiritus influentes continuô exercitiô ita disponuntur, ut audito heri mandato ſtatim ad hos vel illos motus exercendos inſtigentur. *Sic ſi canem erecto ad ſidera vultu* poſterioribus inſiſtere velint pedibus, elevatis anterioribus eundem aliquantisper deſerunt & ſi eòdem inclinare voluerit, ſcuticâ vel flagrô percutiunt, unde ſe in priſtinam figuram contrahens eumq; iteratò repetens illã membrorũ diſpoſitionem ſibi contrahit, quæ ſpiritus animales per ſæpiùs auditum heri mandatum eò ſpontè quaſi inclinantes promptius admittant

tant illorumque motui auſcultent. Eôdem modô percuſſis ſubinde pedibus ad tibiarum modulos *ſaltare* diſcunt *urſi*, luſibusque equeſtribus idonei redduntur. Adeòque de nihilo non eſt, quod idem „VOETIUS l. c. ejusmodi quid habitus brutorum corporeos co„mitari dicit, ad cujus præſentiam tenentur elicere actum aut „fugæ aut appetitus, admiſsâ ſaltem ſimplici repræſentatione ob„jecti in cane, quàm in hero eſſe conſtat, qui eâ cum dexteritate „artem naturali bruti actioni combinare novit, ut adſtantes arti„ficiale à naturali non valeant discernere. Quamvis illud ſub primis informationis annis ſaltem obtinere crediderim, cùm habitu firmiùs ſtabilitô eò ſpontè ferantur & inclinent beſtiæ, quod in *Camelis Alcaicis* ad tympani ſonitum ſpontè ſuâ tripudiantibus videre eſt, quorum mentionem facit DN. LE GRAND *in Hiſt. Natur. pag. 384. art. 7.* In aliis verò animalibus, imprimis *avibus*, hoc planè non obtinet, quæ ſolâ eaque blandâ conſuetudine cantus arte edoctos miſcent, utut in aviariis majoribus agmine facto conjuncti cantibus ſpontè quaſi certare videantur, quod in luſciniis, fringillis & avibus canarienſibus apparet. Hominum verò cantus æmulantur crebra perceptione, unde ſilentium amant illi, qui fringillas cantus ſive ſacros ſive profanos edocent, ut eò attentiùs auſcultent aviculæ. Sæpius ergò ſono ejusmodi perculſi ſpiritus animales ſonum illum atque ſibillum ad τὸ ἐγκέφαλον deferentes ita diſponuntur, ut & faciliùs eundem promoveant & ocyùs inde in muſculos linguam moventes repercuſſi ſimilem illîc agitationem moveant, eaque ratione ſonitus & voces crebrius illis oblatas exprimunt aviculæ, quas diutinâ conſuetudine firmatas deinde ſæpè repetunt. Neque enim putandum eſt aves propriô Naturæ inſtinctu voces quasdam eſſe prolaturas, ſed oportet ut ſæpe ſæpiùs ab illis fuerint ante exauditæ; quod in *Pſittaci* illâ *Regiô* obſervandum, qui verba ſupra dicta, queîs ſcapham poſtulabat, à Nautis illuc ſæpè appellentibus ſeſeque ita compellantibus vel millies audiverat.

Quodſi jam ad *hominem* eatur, dici non poteſt, quantam in il-

illum poteſtatem habeat ipſa conſuetudo. Non dicam modò de conſuetudine morali, ſive bonâ, ſive mala, cùm illa non tam animalitatem ſpectet & naturam, quàm animum, & mentem. De mira ſaltem ejus in œconomiâ animali efficaciâ quædam addidiſſe liceat, in qua non ſecùs ac in brutis altera eſt Natura. Non enim aliâ quàm in iſtis ratione *balbutientes* primitus *Vernaculam addiſcunt* variasq; ejus dialectus, his vel illis locis & diſtrictibus conſuetas imitantur, cùm in tenerâ hâc ætate magis ex Naturæ, quàm animæ rationalis inſtinctu loquelam affectare videantur, usquedum organis perfectè diſpoſitis ſuâ in ſpiritus animales determinatione linguam moderetur anima; & *cur dextrâ plerumque fortiores ſumus ac promptiores* quàm ſiniſtrâ? nonne hoc meræ conſuetudinis effectus, quùm Parentes & Nutrices à primis incunabulis eandem nobis liberam relinquant, ſiniſtra ſemper faſciis involutâ: Hinc pori nervorum in dextrâ mage dilatati non poſſunt non ſpisſiorem admittere ſpirituum animalium influxum ipſæque partes continuò exercitiô magis flexiles evadendo quandam ad motum ante conſuetum inclinationem indipiſcuntur, in quô naturam imitatur conſuetudo, ut Celeberrimus ZELLERUS quoque annotat in curioſisſima Diſſertat. Tubingæ nuper habita, *De Pulmonum in aqua ſubſidentiâ pag. 3.* Eâdem de causâ *membra* ſæpe *ſpontè* ſuâ *agunt* ea, quibus ſunt aſueta, nobis ne per ſomnium quidem de illis cogitantibus. Unde quis admirando de *Noctambulonibus* exemplo lucem aliquam affundere poſſet, id quod & nonnulli animæ rationali, ſomni tempore determinationes ſuas in ſpiritus juſto mobiliores continuanti, tribuunt, utut citra omnem rationem: Non enim homines tantùm, ſed & animalia ratione deſtituta ſtabula noctu deſerunt, tecta conſcendunt & per loca ferè invia divagari ſolent, quod in *equis* ejusmodi *noctambulis* & hìc & alibi locorum olim obviis ſæpê viſum eſt. Quid quod hujusmodi noctambulorum actiones inſcia fiunt anima rationali, quæ nunquam illarum recordatur, cùm ècontra ſomnia illam noctu fatigantia de

die

die ſibi in memoriam revocare poſſit. Nullus ergò dubito, quin inſtar automatis ſe habeant illi vagabundi tenebriones omniaque nimiæ ſpirituum motricium agilitati & membrorum ad hos vel illos motus inclinationi ferè debeant, quos inſcii prorſus abſol„vunt, haud aliter ac ſimiles à vigilantibus, ſed non attendenti„bus perpetrantur ſæpius, quos cur agant, ſi interroges, aliam „ferè cauſam reddere nequeunt, præter imprudentiam aut teme„ritatem, animô aliâ re occupatô: vel non aliter ac membra ad „actiones conſuetas redire ſua ſpontè videmus, juxta ſupra laudatum VOETIUM *Part.* 3. *Exerc. de hab. brut.*

Tandem in faciendâ legitimè *Medicinâ* nil æquè magis expedit, quàm ægris ante familiarem obſervare *conſuetudinem*, non tantùm in præſcribenda diæta, ſed & ipſorum remediorum adhibitione, id quod HIPPOCRATES in plurimis locis ſummoperè cavit. Sic *Aphoriſmo 17. Sect. 1.* in imperandâ cibatione τῷ ἔθει ſive conſuetudini quid dandum eſſe monet, id quòd adeò neceſſarium eſſe duxit, ut ad citam, tutam & jucundam curationem etiam cibum paulò deteriorem, ſed ſuaviorem cibo meliori quidem aſt inſueto prætulerit *Aphor.* 38. *Sect.* 2. Rationem dedit ejus Commentator GALENUS *lib. de Conſuet.* quod cibus potusvè à teneris uſurpatus φύσιν ἐπίκλητον ἐργάζεται. μάλιστα μὲν ἐν τῇ γαστρὶ, ἀλλὰ καὶ κατὰ τ' ἄλλα μόρια. Ut enim alimenta quædam ſint ſalubria, neceſſum eſt, ut optimè & digerantur & diſtribuantur. Jam autem longè facilius illa, cæteris paribus diſtribuuntur, quibus aliàs veſci ſolemus, quia chylus exinde confectus fluendi aſſiduitate vias diſponit ad liquorem ſimilem admittendum. Econtra ſi non conſuetô utimur, ejus parum diſtribuitur, quod ſenſim ad majorem diſtributionem vias atque poros diſponit, ut egregiè docet FRANCISCUS BAYLE *Problem. Phyſ. XCII. pag.* 143. Adde quod ea, quæ cum voluptate aſſumuntur, à ventriculô & avidiùs complectantur & feliciùs ſubigantur. Quâ ratione verò jugi conſuetudine fiat, ut quædam alimenta evadant ſuaviora & ſalubria, quæ

antea utenti erant inſuavia & inſalubria, illud egregiè docet idem *auctor c. l.* Quod ipſum non tantum cibo atque potui, ſed & omnibus aliis rebus nonnaturalibus & in ſpecie corporis humani exercitiis accommodat Divinus Senex *Aphoriſm. 49. & 50. Sect. 2.* dum conſueti ſolidos labores ferre, etſi fuerint invalidi aut ſenes, non conſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, facilius ferunt. Videmus hoc in *Nautis* & *Tabellionibus*, qui manibus pedibusque multas ſæpe leucas haud difficulter ſuperant & conficiunt, quæ robuſtisſimos, ſed inſuetos, fatigarent admodum. Diu enim multumque agitatæ partes ad labores indurantur & non tantùm robur inſigne, ſed & promptitudinem aliquam & inclinationem ad motum acquirendo habitu corporeo imbuuntur, atteſtante EMANUELE STUPANO in *Comment. ad Aphor. Hipp. Phyſiolog. pag. 149.* E quibus omnibus haud difficulter conſtare puto, quantum ipſa conſuetudo valeat in ſanorum pariter & ægrorum vita regunda & quâ ratione alteram illîc Naturam agat. Interim hæc ita explicanda ſunt, ne contra SENIS intentionem vis inferatur Artis noſtræ regulæ & indicationum Medicorum fundamento generali, contraria contrariis eſſe percuranda. Ea enim HIPPOCRATIS erat ſententia, ut in præſcribendâ Diæta conſueta interdicendo cautè procedamus, neque temerè, intempeſtivè & confertim immutemus conſuetudinem, ſed paulatim atque pedetentim, idque GALENI conſilio, in ſtatu naturali & ætate juvenili. Abhinc non tam evidenter prava, ſed paululum deteriora conſuetudini indulget, quæ nullam aut leviculam inferant noxam, in levioribus præprimis affectibus, ut idem *lib. 6. Comment. in Epid. 4.* explicat; & quamvis curatoria indicatio tantùm non ſemper à contrariis ſumatur, ſua tamen indicationem vitalem ſimilitudo manet, quæ majores in conſuetis, quàm in aliis alioquin nobilisſimis remediis facultates obtinet. Ridiculum hujus rei teſtimonium recenſet MANLIUS in *Libello Medico LL. CC. addito*, de ruſtico Pharmacopolium transeunte & in ſyncopen delapſo, cui adſtantes varia eaque probatisſima cardiaca

ea præbendo nequicquam profecêrunt, donec alius humi natus extracta illi calceamenta naribus admoverit, quô factum, ut refocillatis viribus ad ſe redierit. Non dicam de aliis *idioſyncraſiæ* ſpeciebus, quæ licet ex ipsâ Naturâ hujus aut illius profluat, multum tamen ipſi conſuetudini in acceptis ferre alibi ex condictô oſtenſuri ſumus, cum verear ne Tua, *Vir Illuſtris*, indulgentiâ jamdum ſim abuſus. Antequam autem hinc prorſus abeamus, non poſſum non difficilimi & omninò ardui cujusdam problematis adhuc mentionem facere, *cur nimirum affectus nonnulli* morboſi absque ulla causâ continente agant & ſive paroxysmatim invadendo ſive recidivando ægros *ex mera conſuetudine affligant?* Videmus illud in quibusdam *Epilepſiæ* ſpeciebus, *à terrore, irâ* vel alia quavis externâ læſione oriundis, quæ remotis omnibus occaſionibus nihilominus habitum ſæpe induunt & multos in annos ſubſequentes eosdem, quos prehenderant, affligunt, ut præter HELMONTIUM, HEERIUM, SALMUTH *morbum* ejusmodi *convulſivum à viſo ſpectrô* habet D. FRIDERICUS HOFFMANNUS Junior, *in peculiari Diſſert. Jenæ habita.* Quid quòd HIPPOCRATES idem agnoverit *Lib. de morbo Sacr. Texto 32.* Eadem ratione *febres intermittentes*, à terrore vel aliis gravioribus affectibus progenitæ, tragœdiam ſuam paroxysmatim continuare, & licet omnimodè exſtirpatæ videantur, annuatim tamen eô, quô corpus tempore decubitus cruciabant, tempore ſæpe laſſitudine, dolore gravativo (ſie drücken) aliisque ſymptomatibus neſcio quas minas intentare ſolent; haud alia ratione ac annuis V. S. aſuefacti accedente tempore pruritus quosdam ſentiunt in parte vel loco venæſectioni dicato, id quod *plethoram ad vires* olim nuncuparunt: Quæ omnia ex merâ conſuetudine ſpirituum undulationem & motum inclinante & quaſi determinante profluere verè dixero. Quisquis igitur Gordios ejusmodi nodos ſolvere funditusque exſtirpare voluerit, in id omnes nervos intendat, ut plicam ſpiritibus animalibus jugi conſuetudine inductam fortiter excutiat, eosque ad alios minus exorbitantes motus aſſuefaciat.

Aſt quò hæc Tibi in ſacris his verſatisſimo! abſtineo manus, ne anſerum more cantibus olorum interſtrepere videar: Quin Tuam, Vir Inclyte, in arduis hujusmodi thematibus informationem & ſententiam hâc ſcriptione experiri malo, in quâ tot illuſtria Europæ Nomina ſolent acquieſcere. Ita benè vale, Venerande Senex! vale inquam, DEO, Familiæ, Eruditis, qui, ut inſtar Aquilæ rejuveneſcas & vel ſola canitie venerabiles annos in ſeram poſteritatem producas, unanimi votô comprecantur, id, quod faxit DEUS! vale terque quaterque. *Dabam Giſſæ Haſſorum die 10. Decembris, Anno 1691.*

M. B. V.

DISSERTATIONUM EPISTOLICARUM

Tertia,

DE

NATURA MEDICA,

Ex Hippocr. L. 6. Epid. Sect. 5. §. 1.

Ad

DN. D. JOH. DOLÆUM,

Conſil. & Archiatrum Hasſiacum.

VIR CELEBRATISSIME.

Seſquiennium jam agitur, quùm datis ad Illuſtrem *Boyleum* literis meam de eſſentiâ Naturæ ſententiam in publicum producerem, eamque re ultrò citròque penſitatâ nihil aliud, quàm inclinationem ad motum vel quietem, in corporum naturalium texturâ radicatam eſſe ſuſtinerem. Quæ utut nova ſatisq; paradoxa

radoxa videatur opinio, illis ſcilicet, qui Onocentaurorum inſtar de modalibus guſtare ſive nolunt, ſive nequeunt: fuerunt tamen haud infimæ ſortis Eruditi, qui ſubductis probè rationibus haud omni easdem pondere deſtitutas eſſe faterentur. Non dicam hâc vice de generoſô BOYLEI judicio, per Amicum ex Anglia nuper reducem in reſponſoriis remiſsô, cùm hâc de re mentem ſuam dudum explicaverit in pretioſisſimâ *de ipſa Natura* disquiſitione. Nec honorificam beatisſimi WALDSCHMIDII epicriſin hìc fusè enarrabo, ne in aliorum encomiis laureolam aucupari videar; non poſſum tamen non æquas ſanæque rationi haud difformes Doctorum cenſuras venerari admodum, è quibus Tuum, Vir Inclyte, judicium nunquam non maximoperè ſuſpexi, quùm & ingenium rationibus ſubactum & longô rerum uſu comprobatam ſapiat experientiam. Teſtantur hoc *Encyclopædiæ Tuæ* cedro dignæ: Teſtantur *Obſervationes* in Miſcellaneis Germanorum curioſis annuatim prodeuntes: Teſtantur *epiſtolæ* & publicè & privatim hactenus cum Exteris æquè ac Indigenis reciprocatæ, qui agmine facto undique advolantes ſummam è commerció Tuó literariô delectationem perſentiſcunt. Quibus ſi & meas hâc vice nænias immiſcuero, levesque de Naturâ Medicâ poſitiones benevolæ Tuæ dijudicationi ſubjecero, in meliorem, ut confido, partem interpretaberis.

Equidem in Naturâ ſunt quædam tanquam myſterioſa, per conjecturas pueriles (juxta HELMONTIUM) tentata quidem ab Ethnicis, at non adepta, quæ ſi majori, quàm usque factum, diligentiâ fuiſſent extricata, non rerum modò naturalium, ſed & Artis noſtræ Medicæ ſtudium ad ſummum perfectionis apicem perveniſſent dudum. Juris univerſalis, quod Naturæ vocant, doctrinam inter deſiderata quondam numerabat Illuſtr. VERULAMIUS Tract. *de Augmentis Scientiarum*, cujus paulò poſt Sciagraphiam non contemnendam tradiderunt HUGO GROTIUS ejusque Frater GUILIELMUS, ut & Commentatores eorum, BOECLERUS, ZIGLERUS, OSIANDER, VELDHUSIUS, KULPISIUS

aliique Juris Naturalis Scriptores, FELDENUS, PUFFENDORFFIUS, MAURITIUS &c. quorum ſcripta auro contrà pretioſiora quaſi fontes exhibent, unde reliqui Juris ſpecialis rivuli largâ ſcaturigine promanant. Pari ſi fervore in ipſam Naturam hujusvè proprietates & effectus inquiſitum fuerit ab Jatro - Philoſophis, majorem fortè ſpem concipere quis poſſet de *Medicina Univerſali*, quæ meritò hactenus in dubium vocatur. Laudet Azoth & Phalajam PARACELSUS: Panaceam GLAUBERUS: Drif ſuum HELMONTIUS: omnia tamen nihilo magis ſunt Catholica, quàm Ptiſana, quamdiu latuerit Natura. Νούσων γὰρ φύσιες ἰητροί, Naturæ morborum Medicatrices, atteſtante COO, non tantùm affectibus p n. coercendo, ſed & ſtatum hominis naturalem conſervando, ut expreſſa GALENI explicatio habet, *in Commentar. ad Epidem.* HIPPOCRATIS. Operæ pretium merebimur, ſi rationem ineamus, quâ ſanitatem hominis aut conſervando aut reſtituendo id utrobique perficiat Natura, quod ægrè tamen fiet, nî primò expeditum fuerit, quid per Naturam ſibi velit Hippocrates? Enimverò ſi Commentatorum antiquiſſimorum, GALENI ſcil. ALEXANDRINI, SANINI, JONCHIIque explicationi credendum, *facultates animæ* pro natura Hippocratica habendæ forent, ut ſententiam illorum in compendiô recenſet SYMPH. CHAMPERIUS in *Epit. Comment. Gal. fol.* LXXX. dum Naturas dicit virtutes agentes, quæ ſunt in unoquoque corpore ſcil. nutritivam, ſanguinis generativam, digeſtivā & alias. Verumenimverò quo loco noſtris temporibus habeatur ſubleſta iſthæc facultatum doctrina, illi nôrunt, qui non brocardicis Scholarum ſomniis, ſed rationibus militant & experimentis. Quid enim animæ rationali cum illis actionibus, quarum ne in ſtatu quidem naturali recordatur unquam? itane corporis univerſi œconomiam in numeratô habet, ut pro lubitu eandem & adminiſtrare & affectus præternaturales diverſis facultatibus abigere poſſit? quid verò de brutis mente caſſis? annon in illis æquè ſui conſervatrices morborumque Medicatrices ſunt Naturæ? Propius igitur ad Genium Hip-

po-

pocratis accedunt illi; qui cum SENNERTO & aliis *Temperamentum* corporis humani pro Naturâ venditare amant, vel (idque potiori jure) vim elaſticam & ad motum inclinationem ex eôdem reſultantem, quæ cum noſtrâ de Naturâ ſententiâ facilè componi poſſet. Quemadmodum verò ipſa temperamentorum doctrina ab antiquata Humoriſtarum hypotheſi omni ſtudio depurganda & in gratiam Anteceſſorum noſtrorum nonniſi cum grano ſalis aſſerenda eſt; ita hòc in locó non tantùm partium ſolidarum vel quaſi talium textura, quam pro elementali, ut vocant, temperamento habent, ſed & vitalis inſimul ſanguinis & ſpirituum irradiatio & influxus intelligenda ſunt. Scilicet & hic admirandam illam obſervare licet analogiam, quam mundum inter aſpectabilem ipſumque microcoſmum intercedere vetus antiquorum eſt traditio. Quemadmodum enim in priori duplex ab Illuſtri BOYLEO Natura, quam Mechaniſmum vocat, eſt reperta, univerſalis ſcil. & particularis: Ita in humano corpore duplici quóque viâ incedit Natura, una quaſi regiâ atque generali τὰ ἐνορμῶντα Hippocratica ſingulis partibus impertiente: Alterâ verò ſpeciali ad propriam viſcerum partiumque ſtructuram manu nos ducente. Utramque tamen ſuum ἐπιβάλλον μέρος maſculè conferre in morborum curatione, nemo (niſi qui omnem ſive rationem, ſive naturam exuerit) inficias ibit. Quod enim ſpecialem partium ſtructuram & naturam attinet, præter organicam illarum conformationem, quoad figuram, cavitates & ſuperficiem unanimi Medicorum conſenſu pariter legitima fibrarum ſtaminumque illis intertextorum tenſio, quam vulgò *tonum* vocant, requiritur, quó benè ſe habente non poteſt non exacta & legitima ſuccorum transcolatio, recrementorum verò partibus adhærentium vegeta contingere excuſſio, ad quam utrobique tonus ille fibrarumque tenſio reſpicere videtur. Hujus enim intuitu partes activô quodam elatere, hoc eſt, Natura gaudentes, ea, quæ ad ſui conſervationem tendunt, admittunt, inimica verò poriſque ſuis minus convenientia repellunt & hâc demum ra-

tione

tione Naturæ ſui conſervatrices & Morborum Medicatrices audiunt; quæ ita tamen aſſumenda ſunt, ut hæc omnia mechanicè, neutiquam ex appetitu quodam vel Naturæ intentione & ut HIPPOCRATES alicubi loquitur, οὐκ ἐκ διανοίης fieri dicantur, cum nihil æquè rectam Philoſophandi rationem perturbet, quàm cùm ea, quæ menti conveniunt, in res naturales & merè extenſas transferimus, ut Author *Phil. Vet. & Novæ* quodam in locô habet. Certè ſi ex proæreſi aut intentione quadam ageret Natura, ipſi fortè magis in proclivi eſſet præternaturalem partium conſtitutionem percurare, à quô tantum abeſt, ut in perfectâ viſcerum atoniâ plerumque ſuccumbat. Jacens enim Natura, ſiquidem HELMONTIO credendum, ex ſe nunquam reſurgere valet. Teſtantur illud *Morbi Chronici*, cachexiæ utriuſque ſexus, hydrops, Icterus &c. de quibus, ſi omnimodam viſcerum atoniam fibrarumque debilitatem arguant, ferè conclamatum eſt, ut unanimi Clinicorum conſenſu raro manum admittant Medicam, aut ſi admittant, leviſſimâ de causâ recidivam inferant, ipsô morbô deteriorem. Non certius hujus rei eſt indicium, quàm diarrhœa ſuperveniens, nullis ſæpè adſtringentibus aut confortantibus refrænanda, quùm friabilis & inſenſilis fibrillarum conſtitutio omnem illorum efficaciam eludat, ſicut iterata me autopſia docuit & experientia. Cùm enim ante decennium in funeſta & fatali multis Philippopoli Medici Præſidiarii vices ſuſtinerem, accidit, ut juſſu Illuſtriſſimi Comitis NIGRELLI Gregarii quidam, diarrhœa hydropem comitante defuncti, cultro Anatomico ſubjicerentur, in quibus hepar (quod præ aliis viſceribus imprimis hìc afficitur) non tam parenchyma referebat, quàm fibroſam putrilaginem vel minimò attactu diffluentem; cujus rei Teſtem hìc appello Medicum Conſummatiſſimum D. WIDTIUM Cameræ nuper Imperialis, nunc verò Eminentiſſimi Electoris Moguntini Archiatrum. His ergò in caſibus ſpes in anguſtô locata eſt, ſi vulgaribus & Proletariis adſtringentibus inſiſtere velimus, inſuper habitâ Naturâ. Niſi enim

enim huic tulerimus ſuppetias, tantum abeſt quicquam hîc conducere, ut probatiſſima de cæterô remedia plus ſæpè detrimenti adferant, quàm medelæ. Exemplo ſunt acidulæ, divinum aliâs & ultimum languentium aſylum, unde plures ſæpè debiliores, quàm acceſſerant, redire, quotidiana loquitur experientia, non aliâ de causâ, niſi quod aquis affatim hauſtis elumbia & jamdum fatiſcentia intus viſcera prorſus enerventur, quorum tonum & naturam prius accuratè exploranda eſſe dudum publicè oſtendi in *Admonitionibus de verô acidularum Haſſiacarum uſu* in Vernaculâ olim editis. Si enim in robuſtis & inculpatâ ſanitate præditis tanta, quam receptâ conſuetudine ingurgitant, aquarum copia & ſtomacho & ſanitati gravis eſt, ut ſaluberrimè in *Epiſt. III. ad B. Waldſchmidium* monuiſti, quid non in exhauſtis teneriſque languentium corpuſculis inde pertimeſcendum? ut taceam frigus actuale ſimiliter nerveis membranarum fibris tremorem ſemi-paralyticum imprimere, de quô MEIBOMIUS elegantiſſimè in Diſp. *de potu aquæ calidæ.* Multa heîc de ipſa *Paralyſi* dicenda forent, quæ, ſi dicendum quod res eſt, negligentius, quàm par erat, hactenus exculta fuit, non ſine querulis invalidorum & languentium anguſtiis. Non ſuppetit occaſio, ut eâ, quâ vellem & fortè valerem, ratione illis æquè ac Artis Medicæ incrementis heîc velificare liceat, quum hâc quidem vice non tam Artem, quàm Naturam Morborum Medicatricem explicare ſuſceperim. Quoniam tamen Ars Naturam imitatur, hinc tribus ſaltem verbis (ſi pace Tuâ licet) in cauſam paralyſeos inquiram, quæ unanimi Practicorum conſenſu reſolutio partium ſenſui & motui ſervientium eſſe dicitur, quæ hactenus quidem bene ſe habent. Unde verò illa reſolutio? WILLISIO partes nervoſæ reſolvi dicuntur, quia ſpiritus animales eas non ſatis inflant & vigore actuant, cujus defectus cauſa eſt viarum obſtructio, quâ illorum tranſitus impeditur. Aſt quid de illô *paralyſeos* genere, quod arthritidi vagæ *ſcorbuticæ* conjungitur? quid de *pareſi poſt colicam?* in quibus utrobique

ſpirituum impetus & influxus non tam imminutus, quàm p. n. auctus partium fibroſarum reſolutionem infert. Plane itaque exiſtimo idem hîc in nervis obſervari, quod in fidibus chordisque Muſicorum nimium diſtentis, quæ niſi penitus diſſiliant, ruptó tamen ſtaminum contextu relaxantur & quâ primitus gaudebant vi elaſticâ prorſus exuuntur, quod in horologiis portatilibus chordâ inſtructis ſæpè pariter contingit. Haud abſimili ratione tendinum ligamentorumque fibræ ſub p. n. dolorum cruciatu tanquam fidiculis diſtentæ flacceſcunt & nî tempeſtivè Naturæ eorum & texturæ ſuccurramus, tandem omninò relaxantur omnemque ad motum inclinationem deperdunt. Hi enim bini Paralyſeos ſunt gradus, quorum poſtremus curatu eſt difficilis; alter verò ab ipsâ Naturâ morborum Medicatrice ſæpè percuratur, dummodò Archeus à dolorum carnificinâ in furorem actus in integrum reſtituatur. Quo quidem in caſu cautelâ opus eſt, ne, quæ vulgò commendantur, *urticationibus* hic adhibitis oleum igni adfundamus, cùm illis tantùm in caſibus expediant, ſi vel ſpiritus animales torpore quôdam correpti fuerint, vel recrementa quædam morboſa plus minus acria partibus nervoſis adhæſerint, quæ ſpiritus impetum facientes fortiter excutiunt, ſi intercedentibus urticarum vellicationibus irritata fuerit Natura; ἀνεθεῖσα δὲ δηλοῖ τοῖσι τὰ τῆς τέχνης εἰδόσιν ἃ πονθέα, juxta Coum *Tr. de Arte* §. 22. Qua ratione Natura ab Indis vel artificiali *Moxæ* cauteriô, vel repetitis *acupuncturis* laceſſita affectus à nobis pro deſperatis habitos ſæpe curat, teſte Dn. TEN RHYNE in Tr. *De Arthritide* & Mantiſsâ Schematica de *Acupunctura* Londini nuper impreſſis. Quid verò de Natura Spirituum hîc dicerem, quæ in temperamento vitali primas tenet? Hi enim ſunt totidem Archiatri Naturæ morborum Medicatrici ſervientes manumque commodantes. Bene THOMSONIUS Anglus *rectam Chymicè curandi methodum* ab Eruditiſſimo D. Hennicke nuper Latio donatam ita exorditur: In his chartis conſulo Tibi, ut primò „omnium ſpiritus (principalem efficientem cauſam ſanitatis &

morbo-

„morborum) obſerves, id quod ipſorum texturæ maxime re„ſpondet, multiplicando, jucundis objectis eorundem furo„rem ac ferociam pacando &c. Optandum eſſet, ut hæc *Spirituum Medicina* diligentius excoleretur, cujus ſpecimen haud contemnendum nobis dedit Dn. WIRDIGIUS Anteceſſor Roſtochienſis. In illorum enim Naturâ, h. e. undulatione & ad motum preſſione plura, quàm aliquis crederet, ſunt recondita. Heîc enim radicati ſunt omnes *morbi periodici* ſtatis intervallis paroxyſmatim redeuntes Mediciſque non minus quam ægris negotii creantes. Fidem hîc faciunt omnes, quotquot hactenus de *febribus* ſcripſerunt, quos inter præcipui ſunt Sennertus, Sylvius, Helmontius, Williſius, Sydenham &c. qui licet ad arduæ hujus doctrinæ dilucidationem multum imò plurimum contulerint, an tamen in explicandis febrium periodis ſibi aliiſque ſatisfecerint, Tuum, Vir Excellens, eſto judicare. Dudum enim exolevit humorum Galenicorum motus periodicus, quô pituita ſingulis in quotidianâ diebus, cholera alternis in tertianâ, melancholia in quartanâ quartô quovis die circuitum ſuum abſolvere putabantur. Exolevit Alcaliſtarum hypotheſis de effervefcentia, quum partim inanis ſit retrograda bilis in cavam regurgitatio à SYLVIO aſſerta, partim in dubium vocetur effervefcentia in ſanguine præſuppoſita. Varius ſucci nutritii motus à WILLISIO aſſertus primum aliquid in receſſu habere videbatur, aſt quantis ille difficultatibus ſit obnoxius, ſolidè & egregiè demonſtrat Dn. Henrici *de febb. intermitt.* Nec tubulorum obſtructorum varietas ab aliis eleganter quidem aſſerta omnem hîc paginam abſolvit, quum vel ſola ſpirituum commotio in affectibus vehementioribus febrim periodicam ciere poſſit. Et quid de illis ſpirituum periodis, quæ in ſtatu ſ. n. ſæpè obſervantur? ſic qui unô vel alterô die ſomno ſe meridiano dedit, ſubſequenti tempore ſæpe nolens volens eô ſolet obrui. Econtra ſub aurora matutinâ ſemel excitati, eodem tempore ſæpius evigilant, etiam non vocati. Venter carens auribus certis prandii cœnæque horis aſuefactus

factus ne per ſomnium de cibô cogitantibus ſalivam movet. Morio apud Williſium horologii & campanarum ſonitus voce crebrò imitans, poſt citra ullius ſonitus perceptionem temporum intervalla metiebatur & quod ridiculum, bombis ſ. v. κάτω editis pulſus horologii exprimebat, hoc licet ſilente. Quænam hîc obſtructio, quænam fermentatio & quis humorum motus? Quibus de cauſis Celeberrimus RIVINUS Lipſienſis haud inconcinnè quaslibet febrium periodos in ſpirituum naturâ atque motu quærit, ob connatam illis facultatem non modo percipiendi, ſed & retinendi ideas ſeu ſpecies rerum objectarum, quas non ad horas aliquot aut dies, ſed annos complures interdum ſervamus, imprimis ſi fortius impreſſæ fuerint, ut in quartana & epilepſia periodicâ videre eſt. *Ideas* autem illas, juxta quas determinatur motus ſpirituum periodicus non tam in ſcintillis quibusdam aut imagunculis, ut ex MARCI MARCI ſententiâ quidam adſtruunt, quàm in eorundem texturâ, undulatione & inde reſultante propenſione ad motum radicatas eſſe jamdudum alibi docuimus. Huc igitur animum intendite Philiatri ipſique Naturæ, per eccentricum ſpirituum motum ſuccumbenti, ſuppetias ferte & facilè morborum etiam contumaciſſimorum victrix abibit. Motu ſc. ſpirituum impetum facientium agit Natura, quem omni ſtudio in integrum reſtituamus. Si enim Natura ſive ſolſtitiorum ſive æquinoctiorum tempore ſpontè ſurgens faſtidioſum Medicorum ludibrium, quartanam puto, fugat: Si vegeto pubertatis tempore caducum edomat & epilepſiam juxta Hippocratem: Quidni arte novis illam viribus inſtruere poterimus, ut generoſô impetū reſurgens ſe vegetam morborum Medicatricem exhibeat? Poterimus autem illud, ſi primùm ſpirituum undulationem eorumque preſſionem ſeu ad motum inclinationem h. e. Naturam operosè perſcrutemur & abhinc ejuſdem, velut Equi generoſioris curſum vel blanditiis vel capiſtrô quodam moderemur. Non enim ſemper expedit Naturæ nimis abblandiri ejusque motum otiosè expectare, ſed illi quandoque ſtimulus eſt

adden-

addendus per medicamina generoſa draſtica. Multa ægrorum millia nimiâ & intempeſtivâ Medicorum puſillanimitate trucidantur eaque de causâ plures, quàm decet, affectus *incurabilibus* adnumerantur, de quibus ex profeſsô SEIDELIUS. Novi Empiricum epilepſias habituales unicô eóque draſticô remediò funditus exſtirpantem, ab omnibus alioquin pro incurabilibus reputatas. Alium novi eumque Eruditiſſimum Auliatrum, qui ſi non eódem, parili tamen pharmacô maniam curat, vix paucis interpoſitis ſpecificis. Vis autem & activitas remedii in eô latet, quòd ſpirituum Naturam in morbis illis ſuccumbentem elevet; qui capit capiat. Ah ô utinam Naturam ſcrutarentur illi, qui ſe toties Naturæ Miniſtros crepant? utinam Naturæ morborum Medicatrici manus commodent & ſicubi in devia làbatur, in regiam deflectant! Mirabar olim Pariſiis & Venetiis ſingularia *pro incurabilibus* noſocomia ſpectari, quum tot utrobique Medici alantur, quot ſunt in anno dies. Quid in causâ quæſo? negligunt, ah! negligunt Naturam morborum, etiam vulgo incurabilium, Medicatricem. φύσις γὰρ ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, natura omnibus ſubvenit, atteſtante HIPPOCRATE *Tr. de aliment.* §. 4. *p.* 594. Naturæ ergò percontare methodum hujusque viam ſequere & ſponſionem fecero nullum ex internis reperiri morbum prorſus incurabilem. Ad experientiam provoco, *Fonteſque Soterios* (die heil und Geſundbrunnen) in exemplum trado, qui morbos ſæpè curant ab omnibus pro incurabilibus relictos, idque ſolâ Naturâ, in ſale mundi centrali radicata. Plerique enim ita comparati ſunt, ut paucas vel omninò nullas particulas minerales ſecum vehant, quod de *Griesheimenſi* haud procul à Darmſtadio teſtatur ὁ μακάριος JOH. TACKIUS in Eucrene Theoſophica. Idem in vicino nobis Germesheimenſi, qui paucis abhinc ſeptimanis haud procul ab Imperiali Wetzflariâ exortus eſt, obſervare licet, in quem ſollicitè nuper adhibitis variis deſtillationibus, præcipitationibus, digeſtionibus inquirendo, ne quicquam reperire licuit, exceptis particulis nonnullis

nullis nitro-ſuphureis, à quibus tantùm abeſt, ut virtutes à vulgò undique terrarum eò confluente illi adſcriptæ dependeant, ut potiùs ab altiori principio, Naturâ ſcilicet in minimis ſe maximè exerente promanent. Quidni autem & ipſa Medicina talia præſtare poſſet, ſi naturam imitetur? ſi enim vera ſunt, quæ Salisburgi PARACELSI cavet Epitaphium, ſuſtulit ille morbos incurabiles vulgò ita dictos, caducum ſcil. calculum, quartanam, podagram, maniam, idque ſine dubio, quod Archei & naturæ reconditam obtinuit notitiam. Simili ratione plures in Archeô morbos fabricari noverat HELMONTIUS Diſcipulus, ad cujus furorem demulcendum ferè omnia ejus collimant polychreſta reverà ſingularia, utut ſecretisſima, quùm Filius intempeſtivô Enthuſiasmo irretitus illorum copiam aliis invideat: Interpretes verò GREMBSIUS, STARCKIUS, THOMSONUS & alii veram ad illa clavem nondum ſint adepti, quam Natura in gremio ſuo fovet. Hujus ergò reſeremus viſcera, hujus addiscamus methodum & ſat habemus arcanorum. Non aliunde ſuam in medendo felicitatem habent Practici ævi noſtri celeberrimi, quàm ab accuratâ Naturæ cognitione, cùm, ut vulgò dicitur, Medicus incipiat, ubi Phyſicus jam deſiit. Teſtaretur id, ſi unquam reviviſceret Medicorum Brandenburgo-Electoralium biga nobilisſima CRAANIUS & BONTEKOE, Medicinæ Chirurgo-Rationalis ex ipſo naturæ lumine Reſtauratores ingenui. Teſtantur idem Manes beatisſimi WALDSCHMIDII, cujus mortem præmaturam luget ipſa, quam indies excolebat, Natura. Vivet interim & æternum vivet in ſcriptis ex parte poſthumis, dignoque tantô Virô Succeſſore BRUNNERO, Magni WEPFERI Genero, de quò Hasſiæ æquè ac Illuſtri Marpurgenſium Academiæ gratulor ex animò. Nullus dubito, quin in eô recuperaturi ſimus, quem in Priamo noſtro perdidimus amicum, cùm inſolitam Viri humanitatem mihi ſæpè deprædicaverit Illuſtris Dn. FRANCUS, Archiater & Prof. Electoralis Saxonicus. Tu verò, *Inclute Dolæe*, antiquum ſimul obtine & immaturas has de Natura-

ra Medicâ cogitationes edecumato Tuo judiciô dignâre, quod impatienti deſiderio expecto. *Vale.* Scribebam *Giſſæ Haſſorum, pridie Cal. Junii, A. 1690.*

P. S.

Eodem, quô hæc ſcribo, tempore, pro ſuetâ ſibi benevolentiâ portentoſum mihi caſum ſubminiſtrat Polyglottus & in omni ſcibili Verſatisſimus DN. LUDOLPHI, Conſiliarius Cæſareo Saxonicus, quem è Vernaculâ Latinitati redditum hîc addendum cenſui:

Actum Gothæ die 20. *Junii* 1689.

Johannes Rückmeſſerus, Vespilio hujus loci, præviâ admonitione pro conſcientiâ teſtatur, quòd haud ita pridem retro templum cœmeterii tumulum pro defuncto Reſtiario Neuhahn effoſſerit & cum ſatis jam profundè penetraſſet, in veterem atque putridum ſarcophagum inciderit, nil niſi coſtas & oſſa relicta continentem, quæ remoturus & è regione hujus tumuli in profundam caveam abſconditurus retro ſe ſonum quendam, anſerum ſibilo haud abſimilem, obſervaverit, prodeunte ſimul ex osſis cujusdam extremitate ſpumâ, pugnum fere æquante, tantumque fœtorem ſpirante, ut labia æquè ac nares obturanda fuerint. Cùm verò non exiguo inde terrore perculſus in alterum tumuli angulum ſe recepiſſet & phænomenon illud attentius conſideraſſet ictum ſimul ſclopetarium inde excitatum fuiſſe addit, bombardæ manualis ictum mentientem, ſurgente ſimul fumô cœruleô, in orbem ſe circulante altumque petente, qui majorem adhuc fœtorem præ ſe tulerit, quam ſpuma ſupradicta ſpiraverat, ita quidem, ut ſibi pereundum eſſe putaverit, nec diutius in tumulo commorari potuerit. Domum ergò deproperans & medicamento quodam uſus, poſt unius aut alterius horæ elapſum, tumulum, ulterius perficiendum, repetens nequicquam amplius ſe inveniſſe idemque os, quod ſpumam ſibilumque ediderat, prorſus illæſum aliorumq; inſtar terrâ repletū fuiſſe adſtruit. Hæc ubi-

ubicunque locorum ſe conteſtari poſſe profitetur,quocunque res devenerit, neſcire tamen, quis illîc olim tumulatus fuerit, cùm plures quam viginti anni, priusquam ipſe huic officio admotus fuiſſet, ab eô jam tempore præterlapſi ſint.

Epicriſis.

Non dubito plura hâc de re judicia ſuborta fuiſſe, cum rudis & ſuperſtitionibus ineſcata plebecula ea, quæ in locis hujusmodi feralibus contingunt, aut ipſi DEO T.O.M. aut ſpectris ferè tribuat, imprimis ſi rarò vel nunquam ante viſa fuerint. Attamen hæc omnia à cauſis merè naturalibus dependere, nil impedit, quò minùs aſſerere ſuſtineam. Maſſa enim ſpumiformis, quæ oſſi primitus adhæſerat, nihil aliud videtur, quam particularum nitro-ſulphurearum (quibus loca illa imprægnata ſunt) collectio in motum acta, unde non tantummodò *ſibilus* primum exauditus, ſed & color atque fœtor ſunt exorta. Nitrum enim incenſum flammulam exhibere cœruleam vel in vulgus notum, eamque non tam fulminantem, quàm levem aliquem ſibilum edentem, niſi particulæ illi ſulphureæ commiſceantur, velut in pulvere pyrio contingit; quibus extraverſis & incenſis non tantummodò *fragor* atq; tonitru in fine exauditum, ſed & *fœtor* in caſu noſtro adſcribenda ſunt. Quæ omnia facilè aſſenſum merebuntur penes eos, qui in arduâ qualitatum ſenſibilium doctrinâ non omninò hoſpites ſunt. De eô ſaltem quæreret mens veritatis avida, quâ nempe ratione particulæ illæ circa oſſis extremitatem collectæ ſint incenſæ & in flammam actæ? id quod ſcintillæ, per ligonem in ſilicem vel oſſa fortius impingentem elicitæ vel ſubitaneæ aeris irruptioni attribuerem. Sicut enim flamma aëre apertô privata fatiſcit & exſtinguitur, ut experimentis in antlia pnevmatica à Guerikio, Boyleo, Stairio, Sturmio & aliis jamdudum eſt evictum: Ita ſimiliter in obſcuris terræ viſceribus particulæ illæ quaſi mortuæ quieſcunt, donec ab aëre extus irruente in motum abeant & flammam conſtitu-

ſtituant. Unde *novum* illud *meteori genus*, quod novellæ Berolinô datæ eodem, quo hiſtoria hæcce contigit, menſe retulêrunt, parili ratione expediri poterit, *flammula* ſc. *cœrulea* in cacumine turris Copenikii conſpecta. Verba ita ſe habebant:

Berolini die 1. Julii, Anno 89.

COpenickii aliquoties veſpertino æquè ac matutino tempore in turri caſtrenſi flamma cœrulea obſervata fuit, quæ odorem gravem ſulphureum vaporemque nebulæ haud abſimilem reliquit. Eôdem prorſus modô res ſeſe habet cum admirando illo *Lapide Becchinenſe* in Bohemia reperibili, de quô Jeſuita BALBINUS *Lib. I. cap. LI. pag. 118. Hiſtor. Bohemiæ ſeqq:* „Ad Becchinam locum Bohemiæ reperitur lapidum genus, in „quo Natura arcani quid recondidit. Lapis rotundus ferè mu„nitur ſaxeo cortice fuſci coloris: Sub eô cortice alius lapis & in „hoc veluti medulla candidiſſimus clauditur lapis: in ignem au„tem injectus inſtar manualis fiſtulæ vel granatæ ſe exonerat cum „ſonitu ingenti. Tandem idem pariter occurrit in *Faculis feralibus* (vulgò Todten-Lichtlein) quæ non tam demortuorum animæ vel ſpectra ſunt, ut vulgi ſuperſtitioſi eſt ſententia, quàm potius aphronitrum è pavimentis domuum antiquarum erumpens & exſudans, quod cum particulis ſulphureis, è cadaveribus exhalantibus, maritatum & per motum aëris incenſum flammulam & faculam conſtituit, ab igne fatuo mole ſaltem differentem; de quibus alibi ex condicto, cum nemo quantum ſciam, hujus uſpiam meteori mentionem fecerit. Hâc enim vice vela contrahenda ſunt, ne Tuâ, VIR INCLUTE, patientia turpiter abutar. Bene *Vale!*

V DISSER-

DISSERTAT. EPISTOL. IV.
DE
INSTINCTU NATURÆ,
Ad
D. CAROLUM PATINI,
D. Marci Equitem & Prax. Ext. Profeſſ. Patavinum.

P. P.

BIPATENS ANIMIS ASYLUM in emblemate quondam offerebas, GENEROSE DOMINE, quum Sereniſſimi BUZACARINI nomine me inclutæ Recuperatorum Academiæ membrum deſignares; quod ut præter omnem expectationem mihi contigit, ita dici non poteſt, quantum inde gaudii perſentiſcam, quoties Artis noſtræ tædiis & laboribus defeſſus eò me recipio, in quo duplici conſpectu adituque cœlum atque terra patent. Hic enim eſt ingens ille Naturæ commentarius, quem Invictiſſimus Romanorum Imperator LEOPOLDUS Curioſis ſuis conceſſit in Inſignibus, addita parænesi: *NUNQUAM OTIOSUS.* Equidem Scientia „Naturæ magnum è libris adjumentum habet (verbis ARGI no„ſtri loquor) majus verò & glorioſius ex ipſo naturæ libro, bi„patente folio dotatò, cœli nimirum terræque, ubi partim men„tis, partim corporis oculis & remotiſſima ſpeculamur & ab„ſtruſiſſima rimamur & maxima admiramur & minima indaga„mus, ope mechanices & experimentorum. Ibi in terræ viſcera „eundum eſt cum AGRICOLA: Ibi cum BLASIO animalium „interiora ſcrutemur: Ibi cum FROMONDO, MAZOTTA,

„CARTESIO meteora rimemur: Cum RAJO, SYEN,
„HERMANNO plantas &c. Quid verò hæc, niſi *bipatens animis aſylum*, in quô utinam *nunquam otioſi* ſint, quorum id talentum eſt? & utinam miſſis Scholarum tricis ſummi Creatoris digito conſcriptas paginas evolverent! Longè enim aliâ hæ methodo ſunt digeſtæ, quam vani Mortalium commentarii, qui ſubinde plus in rubro, quam in nigrô fovent. In hôc verò naturæ libro tanta ſapientiæ Divinæ eſt abyſſus, ut bruta ſint, non homines, qui abſque Creatoris ſui veneratione unquam inde receſſerint. Aſt ô cœcas hominum mentes, ô ſupinam hominum vecordiam, quæ ne extimam libri frontem dignâ uſque meditatione percontata eſt, ejuſque anacephalæoſin, *Naturam* puto, à tot retroſeculis inſuper habendo prorſus neglexit; donec veternum aliis excuſſerit Magnus ille BOYLEUS, qui primam nobis anſam dedit indolem ejus & naturam ex condictô demonſtrandi, ut adjectæ modò ſchedæ de *Natura Naturæ* atteſtantur, è quibus noſtram hâc de re ſententiam haud gravatim obſervabis. Ne verò ſterilis & infœcunda ad Te abeat hæc materia, hinc addo jam novas de *Inſtinctu Naturæ* cogitationes, quæ ad excelſum & exteris undique patens benevolentiæ Tuæ aſylum ante confugiunt, quàm in publicâ Eruditorum celebritate verſari ſuſtineant.

Primum autem diſtingui velim ea, quæ per *Inſtinctum Naturæ* vulgò contingere dicuntur, ab aliis brutorum actionibus, quæ habitum quendam corporis crebrô exercitiô acquiſitum inſequuntur, ſive eundem arte obtinuerint, quæ naturam imitatur, ſive conſuetudine alterâ Naturâ, perinde eſt. Quando ergò canes, feles, equi, urſi atque elephanti artes varias addiſcunt aut ludos palæſtricos imitantur, avesque nonnullæ linguâ ſive mobiliori ſive carnoſiori præditæ, cantus, voces & loquelam hominum addiſcunt, ut in pſittacis, corvis, picis & fringillâ accidit: hæc omnia non tam à naturæ, quàm artis potius inſtinctu evenire ſolent. Illæ igitur actiones hîc ſub cenſum modò veniunt, quæ unicuilibet brutorum ſpeciei à primis, quod dicitur,

incunabulis conveniunt, iiſque naturaliter connaſcuntur. Sic *anatum* & aliorum *amphibiorum* pulli vix eff:actis ovorum putaminibus egr:ſſi fluctus aquarum ſubeunt, pedumque remis flumina jugiter natando dividunt. Non minus *aviculæ* vix plumis inveſtitæ naturali quodam inſtinctu ad volatum tendunt, eumque crebris ſubſultationibus attentant, antequam ſe aëri committant, ut in ciconiis juvenculis annuatim obſervamus. Sic recens in lucem editi *porcelli* mox ubera quærunt materna, & ſi lactis rivuli ad primum ſtatim attactum non ſcaturiant, roſtris uſque agitant, donec voti ſui compotes reddantur. Tandem & in *ranis* ejuſmodi inſtinctum licet perſpicere, quæ primò vere è latebris ſuis, in quibus ſomno quaſi Epimenideo ſepultæ hybernô tempore latuerant, egreſſæ & in ſuæ ſpeciei propagationem inclinantes catervatim coëunt. Hæc & infinita alia ab *inſtinctu naturali* rectè derivantur, modò hic loquendi modus dextrè & cum ſalis granô explicetur. Neque enim eôdem, quô homines ratione præditi ſe invicem ad has vel illas actiones inſtigare ſolent, modô, hîc putandum eſt in brutis aliud & à corpore organicô ſpecie diverſum inveniri principium, cui in acceptis ferendus ſit inſtinctus ille, qui nonniſi mechanicè illîc evenire dicitur. Operæ igitur pretium merebimur, ſi curatius inquiſiverimus, unde ſit hic Naturæ Inſtinctus & cur hoc animal tales in ſpecie inſtinctus habeat, aliud verò alios? Utrumque Formæ brutorum ſubſtantiali vulgò tribuunt antiqui, ut mentem illorum explicat WECHTLERUS *Lib. I. de Hom. Oriente Diſp. 23. difficult. 8. pag. 477.* Aſt vereor ne propria vincta cædant, quum contra Magiſtri ſui mentem formas C. N. pro ſubſtantiis habent incompletis & materialibus, h. e. talibus, quæ & originis & exiſtentiæ intuitu ab ipsâ materia dependeant neque extra eandem ſubſiſtere poſſint. Quo enim jure ſubſtantiæ nomen ſuſtinebunt, cum per ſe extra materiam non ſubſiſtant? Si dicas illas ſubſiſtentiam ſuam in ipsâ habere materiâ, idem quis de accidentibus quoque ſubſumere poſſet, quô ipsô & illa in ſubſtantias abirent, quod omnino

impli-

implicat. Quin imò, cùm materiales, ut audiunt, formæ nec partes ſint materiæ, nec extra eandem ullibi ſubſiſtant, inhærentiam aliquam habere videntur, quod ſubſtantiis omninò eſt contrarium. Neque inde liberantur communi Scholarum exceptione, quod ſi non partes, attamen compartes ſint materiæ, quùm diſtinctio hæc in ſcriptis ARISTOTELIS nullibi reperiatur, ſed pro ſalvanda ſua formâ ſubſtantiali merum ſit Interpretum effugium; ut taceam partes hîc potisſimum integrales intelligendas eſſe, ut pleraque Commentatorum exempla oſtendunt. Quid quod ad nullam ſubſtantiarum ſpeciem referri posſint, cùm neque corporeæ ſint, neque ſpirituales. Non prioris generis, quùm unum corpus, ea, quàm formæ ſubſtantiali tribuunt, ratione, alterum informare non posſit, nî manifeſtam corporum penetrationem turpiter admittere velimus. Nec juvat diſtinguere inter materiale & materiatum, inter corpus & corporeum, quùm non tam exiſtentia, quàm eſſentia, hîc in dubium vocetur, quæ terminis ejusmodi ambiguis nondum expedita eſt. Sed neque ſpiritibus accenſeri poſſunt formæ illæ, cum ſpiritus propriè ita dictus è potentiâ materiæ, totô genere diverſæ, nequeat educi, quæ merè eſt pasſiva; & ſi poſſet, quid ageretur de tot formarum myriadibus poſt obitum brutorum? ſi dicas annihilari illas, naturæ tribuis, quæ DEI ſunt, cum viribus Naturæ ne minimus quidem ſubſtantiæ apex in nihilum redigatur: Sin verò ab obitu ſuperſtites manent, dic amabo, quo abeant? Profectò aut impiam Manichæorum metemphychoſin ſtatuas oportet, aut in abſurdisſimum difficultatum limbum & barathrum incides, aut denique ridiculè medium aliquod admittes inter ea, quæ terminis differunt contradictoriis, ſicque plures effinges ſubſtantias, quàm excelſo rerum mundanarum Creatori produxiſſe placuit. Actum igitur eſt de ſubſtantialitate formæ nec quicquam ſupereſt, quàm ut urnâ illam abſcondendo in perpetuam rei memoriam hanc illi Tabulam ſuſpendamus:

SUBSISTE VIATOR
ET ATTENDE,
QUAM TRISTEM PATIATUR ECCLIPSIN
FORMA SCHOLARUM SUBSTANTIALIS,
QUÆ
PROTEI INSTAR
OMNES QUONDAM FORMAS INDUEBAT,
CUM IPSA
NEC CORPUS SIT, NEC SPIRITUS,
SED OMNIA,
INFORMABAT ENIM OMNIA,
NUNC HEU! QUAM DEFORMIS REDDITA!
SCILICET:
FORMA BONUM FRAGILE EST,
QUÆ
DUM MAXIME QUONDAM SUBSTANTIÆ FORMAM
EST MENTITA,
OMNEM NUNC PERDIDIT SUBSTANTIAM
MODIS VICTA ESSENTIALIBUS.
VALE LECTOR ET PERPENDE
QUID MODUS IN REBUS, QUID CERTI
DENIQUE FINES?

Antiquatæ huic de Formâ ſubſtantiali ejusque inſtinctu ſententiæ jam ſuccedit altera, à VOETIO *Diſp. ſelect. 3. de habit. Brutorum* „*pag. 47.* recenſita, qui inſtinctum naturæ dicit animæ brutorum „facultatem, eidem cum primò eam Deus crearet, inditam & „etiamnum per propagationem conſervatam, quâ ad ſimplicem „repræſentationem hujus vel illius objecti, ut bruto conveniens „vel noxium à Creatore æſtimati neceſſariò aut in illud tum ap„petendo, tum totum compoſitum loco movendo ruit, vel idem „avertatur & fugit. Verum ut omnem inſtinctum naturalem brutis in primævâ creatione obtigiſſe dici non poteſt, cùm ejus-

dem

dem ſpeciei animantia diverſiſſimos ſæpè habeant inſtinctus, qui fortè poſt creationem rerum primævam iisdem à cauſis externis impreſſi fuerunt; ita inſimul obſcurum eſt, quid ſibi velit dicta brutorum anima & in quô facultas illa radicata ſit. Quodſi per utramque ſeriem ſpirituum eorumque texturam aut inde dependentem aptitudinem ad motum velis intelligere, ambo facilè concedi poſſunt, modò & illud nobis detur, haud omnem naturæ inſtinctum ab animâ brutorum, ſed magnam ejus partem inſimul ab organicâ partium ſtructurâ indeque dependente elatere pendere. Hinc magis ad rem faciunt ea, quæ Dn. Le GRAND Tract. *de Carentiâ ſenſus & cognitionis in brutis pag. 100.* ediſſerit, dum inſtinctus naturalis nomine nihil aliud intelligit, quam motum localem ut totius, ita & partium etiam exiguarum, certâ magnitudine ac figurâ præditarum, ſecundum quas res naturales diſtinguuntur & varias ſortiuntur denominationes; motus autem ille fieri non poſſet, niſi ſpiritus æquè ac reliquæ corporis organici partes ejusmodi mechanismo gaudeant, ut horologii inſtar ad motus illos ſpontaneam quaſi inclinationem habeant, quæ ipſiſſima eſt natura, cui inſtinctus ille rectè hactenus adſcribitur. Quandoquidem autem quælibet animalium ſpecies ſibi propriâ & ut loquuntur ſpecificâ corporis organizatione gaudet, & ſine dubiô ſpirituum textura eâ quoque ratione differt, hinc fieri non poteſt, quin hæc ad has, alia ad iſtas actiones inclinent, pro diverſitate partium in brutis occurrentium. Ad oculum id apparet in *amphibiis* & *piſcibus*, qui ad natationem ita ſunt compoſiti, ut omnia ferè membra illam ſpontè urgeant. Videas hîc remos in caudis, in pinnis atque pedibus, quibus æquora & inſanas fluctuum moles ita ſuperare nôrunt, ut vix nautæ verſatiſſimi roſtris ſuis & antennis illas æquè penetrent. Videas abdomen utplurimum acuminatum, ut eô mediante aquas quaſi ferrô dividant: Videas intus utres & veſicas aere turgentes (quod in anatibus oſſeo quodam utriculo ſuppleverat) quô corpora leviora reddita ab aqua facilius ſuſtollantur; hinc mirum non eſt,

natu-

naturali illa inſtinctu natationem & remigia appetere. Econtra *aves* aliô plumarum apparatu ad volatum tendunt, ad quem muſculi alas ſuſtollentes ſpontè pariter inclinant, poſtquam à ſpiritibus illos quaſi inſufflantibus eò inſtigari ſolent. *Porcellos* verò ubera nimis avara roſtris agitare inde profluit, quod dictitante fame ubera prehenſa fruſtra primùm attrectando, poſtmodùm verò impatienti deſiderio etiam atque etiam verſando guttas aliquas expreſſerint, unde crebrâ repetitione plica atque undulatio ſpirituum motricium ita diſponitur, ut quamprimùm ubera porrecta ſugant, in partes roſtra moventes influant & agitent. *Ranæ* tandem frigore brumali irruente quadam quaſi horripilatione correpti latibula quærunt & in cœnoſos paludum receſſus concedendo ob principii vitalis grumeſcentiam in ſoporem dilabuntur, ita tamen ut motis circa propriam axem ſpiritibus & ſub cineribus quaſi gliſcentibus vitam mediam (ut HELMONTIUS habet) agendo eô temporis intervallo ſuperſtites maneant, de quô eleganter PECHLINUS in Epiſt. *de aeris defectu & vitâ ſub aquis*; quamprimùm verò vere ineunte ſanguis atque ſpiritus in conſuetum motum circularem vindicantur, non tantùm membra, eò jamdum inclinantia, in motum etiam agunt, ſed & partes genitales titillando animalcula ad Venerem exſtimulant: quæ omnia inſtinctui naturæ haud abſurdè tribuuntur. Infinitis hæc exemplis illuſtrari poſſent, niſi verendum eſſet, ne, quàm cepi, epiſtolæ limites excedendo extra oleas divagari videar. Unicùm modò, pace Tua, liceat adjicere, *an & in homine detur quidam Naturæ inſtinctus*, & quidem propriè ſic dictus? quod enim mentis attinet inſtinctum, quam inclinationem animi rectè dixeris, dum pro ingeniorum diverſitate alii ad has, alii ad iſtas feruntur actiones, de eô nemo, quod norim unquam dubitavit. Interim hæc animæ rationalis inclinatio, ſeu ut hodie loquuntur, determinatio pro verò & propriè ita dictô inſtinctu naturæ venditari nequit, cùm ipſi menti, tanquam ſubſtantiæ cogitanti ne quidem Naturæ notio Phyſicè poſſit tribui. Omnis igitur natu-

ræ inſtinctus, in organicâ partium ſtructurâ ſpirituumque undulatione (quam utrobique cum brutis animantibus participat) eſt quærendus, ſi quidem homini unquam convenit. Quidni vero conveniret, quùm intuitu animalitatis (ut ita loquar) irrationalia præ rationalibus nullam prærogativam habeant, cum vel eodem vel omninò ſimili organorum habitu, imò & principio vitali utrobique ſint inſtructa, quorum accidentia pariter & adjuncta his non minus, quam illis erunt adſcribenda. Quemadmodum ergò tria fere ſunt, queîs ipſe naturæ inſtinctus ſe in brutis exſerit, dum aut vitæ conſervandæ ſtudent, aut inſitô quodam impulſu ea oderunt & averſantur, quæ ipſis ſunt infenſa, aut in ſui denique propagationem abeunt, ita hæc omnia ſimiliter in hominè occurrunt, etiam citra mentis (cui vulgò addicuntur) imperium & concurſum. Sanè primis infantiæ temporibus, cum ob organorum imperfectionem uſus ipſius rationis eſt exiguus aut omnino nullus, plures in hominibus actiones obſervamus, quæ nonniſi ab illo, quod cum beſtiis ipſis eſt commune, principio vitali ejuſque inſtinctu fluunt. Sic tenelluli lactendo abſque ulla cogitatione mammillas à matribus oblatas apprehendunt, indeque non tantum ſugendo, ſed & manibus hinc inde agitando lac ſibi deſtinatum exprimunt, non ſine lactantium delectatione, idque haud aliter ac in brutis idem obſervamus. Poſt ubi ſenſus externi ſenſim invaleſcunt, ipſeque viſus ad objecta viſibilia intus excipienda aptus eſt, videas infantes averſó ſæpe capite deteſtari, quæ ipſis minùs ſunt accepta, plorare imò pedibus & manibus repellere eos, qui eoſdem à brachiis nutricum audent divellere, imprimis ſi nunquam ante viſi aut turpi quâdam maculâ deformati ſint. Quis autem impunè dixerit infantulos ejuſmodi hâc de causâ averſari ea, quòd exiſtiment ſe ab illis minus offenſos ire, ſi modò longius ab illis fuerint remoti? quis exiſtimaverit eoſdem clamare, ut alios vocent in ſubſidium? Nemo fortè id aſſerere audebit, quum eô adhuc tempore prorſus ſint inhabiles ad ejuſmodi diſcurſus & illationes efformandas; ut

 non

non dicam eaſdem actiones haud abſimili ratione in brutis quoque obſervari, licet omni ratione deſtituta ſint. Hinc ab alio non profluunt principio, quàm inſtinctu naturali, homini cum beſtiis communi. Eôdem modô infans ſub primis, quos titubans ſibique relictus experitur, greſſibus non directè ad perſonam, à quâ vocatur, gradibus deproperat, ſed pro majori ſecuritate parietibus & ſcamno ſe applicat, ſicque per ambages tandem ad eandem appellens cum applauſu atque jubilô excipitur, id quod abſque ullô ſyllogiſmo vel periculi intuitu, ſed merô Naturæ inſtinctu contingit. Porrò non ſub primis tantùm vitæ incunabulis, ſed adulta jam ætate idem quoque ſe in hominis œconomiam animalem ſatis exſerit. Quoties enim accidit, ut omnibus in gravi aliquo negotio defixis cogitationibus animoque profundis cogitationibus immerſo prandium vel cœnam capiamus ejus prorſus inſcii, mente ſolum rebus illis arduis intenta? quoties non accidit, ut urente frigore hybernô, animo hâc ratione prorſus occupatô, ad fornacem aut caminum concedamus, ſicubi hypocauſtum ita calefactum intraverimus, utut citra omnem intentionem aut ante deliberatam voluntatem accidat? dubium ſane nullum eſt in his & ſimilibus occaſionibus plura ipſi naturæ, quàm mentis determinationi nos debere, quum eadem aut ſimilia in brutis obſerventur. Sæpius etiam accidit, ut in ſolô glacie obductô vel ad ſaxum aliquod ex improvisô impingendo ceſpitemus, parumque abſit, quin prorſus concidamus, ut humi bos; quas tunc agitationes, quas non corporis diſtorſiones attentamus, ut lapſum evitemus, eoque ipsô nos in æquilibrio contineamus? quodſi ſanam illa rationem perſuadere dixeris, falleris, aut fallor ego, qui concipere non poſſum eandem unô quaſi ictu & ut dicunt in inſtanti medium illud nos docere poſſe, quum certum ſit agilimos & exercitatiſſimos Athletas ſæpe ignorare, quid propriè ſit æquilibrium illud, quod *tempo* vocant & ab omnibus Exercitiorum Magiſtris tam curioſè quæritur: Quodſi tandem omnibus ejuſmodi in caſſum adhibitis adminiculis præcipites ruamus, à primâ ſtatim

tim infantiâ in manus nos conjicimus idque tam ſubitò, ut ante vel proſtrati vel vulnerati ſimus, quam de eô vel cogitare vel ratiocinari poſſimus; quô ipsô denuò apparet in ejuſmodi caſibus ſubitaneis adhibita remedia à Naturæ magis, quàm animæ rationalis inſtinctu inſpirari. Nil dicam de maniacis, phreneticis, melancholicis aliisque ratione caſſis & Nabuchdonoſoris inſtar tantùm non ad brutorum indolem redactis, qui omnes in functionibus ad vitæ conſervationem neceſſariis ſolo Naturæ lumine & inſtinctu ſatis vegetè reguntur abſque ullô rationis adminiculô; ut adeoque extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum eundem homini cum brutis æquè convenire. Quod verò Author *Medicî ſui ipſius per inſtinctum,* Gallicè conſcripti, hinc defendere ſatagit, hominem atque bruta ex eôdem Naturæ inſtinctu, ſine quovis Medicorum adminiculô, ſibimet ipſi mederi poſſe, eô ipſo ſane plura tribuit ſtupidæ Naturæ, quàm reverâ decet. Quamvis enim ipſa Natura, juxta Coum, ſit morborum Medicatrix, ob plura tamen impedimenta, quibus implicatur, tantum non ſemper manu indiget Medici adjutrice, quâ in priſtinam libertatem vindicata officiô ſuô defungi poſſit. Adeoque non fortè fortuitò vel ex cauſis merè naturalibus ſanitas aut conſervari aut redintegrari poteſt, ſed prudenti opus eſt ϛοχασμῷ, methodo legitimâ, certisque indicationibus, rationibus & experimentis ſtabilitis. Si dixeris indicationes illas nihil eſſe aliud, quam inſtinctum Naturæ, malè dicis, quùm indicationes hæ non tam naturæ, quam rectæ rationis ſint dictamen. Nec quæ in contrarium habet Author adeò certa ſunt omnia, de remediis à brutis ex inſtinctu naturæ inventis, cum plura iſtic fabuloſa, ab otioſó Venatorum vulgo oriunda, lateant. Hinc & ipſe Gallus ſibi non in totum conſtat, quandoquidem non omnem, ſed maximam morborum partem (*la pluspart des maladies*) ex inſtinctu naturæ curari poſſe ſcribit, quo ipſo ſuus Artem Medicam adhuc honos manet. Quid quòd & ipſa bruta ſuis indigeant Medicaſtris nuſpiam non occurrentibus. Nec minus fallit atque fallitur, exiſtimans, quod omnium morborum

minas & præludia ſentiamus, antequam tragœdiam ſuam in corpore organico ordiantur, ut poſtmodum quivis ex inſtinctu ipſis facile poſſit obviam ire. Licet enim in febribus utplurimum intermittentibus & nonnullis etiam chronicis affectibus, ante primum inſultum, laſſitudinem ſpontaneam aliaſque circa appetitum aut reliquas actiones automaticas defectus ſentiamus, tantum tamen abeſt illud in morbis ſemper acutis, epidemicè utplurimum graſſantibus, apoplexiâ aliiſque id genus affectibus contingere, ut ex improviſo potius ſubitoque nos corripiant utplurimùm. Tandem Nationes nonnullas aut, quas recenſet, familias ab Arte Medicâ abhorrere, Romanos etiam priſtinis temporibus ejectis forte Medicis ſibimet ipſis opitulatos eſſe, rurſus non concludit id, quod intendit Author, cùm argumentum ſit à particulari, illudque vel Gentium nonnullarum barbariei, vel peculiarium quorundam avaritiæ ſit imputandum. Ejecerint Romani Medicaſtros & errones polypragmones, id ſanè veris artis noſtræ filiis ipſique Medicinæ nequicquam derogat, & quanto ſerius in rempublicam Romanam immigravit Medicorum æſtimatio, (ob illorum ſcilicet, qui illotis Artem manibus tractabant, indignitatem) tanto poſtmodum illuſtriora ſumſit incrementa, id quod privilegia & immunitates ab Imperatoribus illis olim conceſſa & in LL. expreſſa comprobant. Dubius ergò ſum, utrûm Author ante citatus (ſane non indoctus, quiſquis ille ſit) ea jocó magis an ſeriò protulerit, & quo jure ignominioſam illam effigiem titulo præfixerit, dum Amorem Gallicum in depingendo Galeno occupatum ſiſtit, hâc cum inſcriptione:

Plus il y touchera
Moins on en fera de cas!

Similiter non ſine causâ dubito de illorum ſententiâ, qui inſtinctum naturæ etiam ad linguas hominum extendunt, exiſtimando infantes in ſolitudine quâdam abſque ullis ſermonibus educatos hâc vel illa linguâ ſpontè locuturos eſſe. Sic cum Ægyptii nationem ſuam antiquiſſimam eſſe dicerent, hæcque opinio ad Regnum

gnum Pſametici invaluerit, hic teſte Herodoto rei curioſitate motus, ejus periculum feciſſe legitur, duobus infantulis ita educatis, ut à teneris unguiculis ne unicam quidem vocem exaudiverint, qui cum ad eam pervenirent ætatem, quâ fabulari inciperent, ambo vocem *Bech* protuliſſe dicuntur, non Ægyptiis, ſed Phrygibus communem, quibus illa panem notat: Vnde ab eô tempore Phryges hanc antiquitatis prærogativam ſunt indepti. In contrarium verò alia adfertur hiſtoria, quæ D. Hieronymo & Origeni, aſt neſcio quâ fide, attribuitur, de infante ſcil. eâdem ratione educato, qui cum nullam ante vocem exaudiverat, in ætate provectiori binas voces Hebraicas, *lechem*, quæ panem, & *gein*, quæ vinum ſonat, protuliſſe fertur. Aſt non deſunt alii, qui parum aut omninò nihil tribuunt his traditionibus, ſed in eam potius abeunt ſententiam, infantulos extra hominum frequentiam educatos, non tam ſuetis hactenusq; cognitis, quàm prorſus novis & inſolitis vocabulis res ipſas ſignaturos eſſe; quæ quidem opinio exinde videtur admodum probabilis, quod ſurdi ab ortu plerumque ſimul muti ſint, nec unquam vocem aliquam ſive Hebraicam ſive Phrygicam forment, utut quandoque ſonitum & boatum quendam edere valeant, quia ſcil ea, quæ nunquam audiverunt, fari nequeunt. Vnde de nihilo non eſt curioſisſimus Italus ALESSANDRO TASSONI, qui decem vel duodecim infantes muta educatione enutritos ætate maturiore novam omninò linguam formaturos eſſe credit, quæ à nullo mortalium intelligi poſſet. Ita enim *Lib. V. De' Penſieri diverſi, Queſt. IV:*
Anze cred'io, che Dieci o dodeci fanciulli allevati inſieme, ſen- „
za udir voce altrui, non reſterebbono muti, ma, quando „
foſſero in età, proferirebbono voci nuove non inteſi da altri, „
che da loro & formerebbono un linguaggio da, ſe ſtrano, e „
inaudito a tutte le nazioni del mondo. In exemplum cedunt bini illi pueri Holmiæ Svecorum usquedum ſuperſtites, quos à teneris unguiculis ſibi jugiter aſueſcentes linguam ejusmodi inſolitam aliusque prorſus incognitam efformaſſe nuper admodum

aſſeruit Dn. MOLINVS, Tuus olim domeſticus, qui ex Italiâ Veſtrâ redux heîc in transitu me honoris ergò viſitabat, Tuamque erga Exteros Benevolentiam ſimul deprædicabat in modum. Age igitur, *Optime Patrone*, & ſi gratiâ Tua fretus juſto forte prolixior fui in deſcribendo naturæ inſtinctu, in dextram partem interpretare, quùm haud alia de causâ loquacitati meæ frena laxarim, niſi animi Tui ſenſa priùs explorandi, quàm leves hasce cogitationes publico obtrudam. Vale CARE CHARE PATINE, cùm Illuſtriſſ. Recuperatorum Conſortio, cui, ſi occaſio ſe truſerit, me velim quàm recommendatisſimum. *Dab. Giſſæ Haſſorum, Calendis Februarii, Anno* cIↄ Iↄc Lxxxxı.

DISSERTAT. EPISTOLICARUM *Quinta*, DE LUSU ET ERRORIBVS NATVRÆ, *Ad* *DN. D. RUDOLPH. JAC. CAMERARIUM, Profeſſ. P. Ord. Tubingenſem.*

HONORATISSIME DOMINE COLLEGA.

Nulla ferè dies abit, quâ non Tui Tuorumque ſermonum jucundisſimorum, quos Lutetiæ Pariſiorum, eódem quondam victu utens, mecum ſæpè commutabas, reminiſcar.

niſcar. Noſti me omine non irritô Te felicem prædicaſſe, quod de gratiâ Principis æquè ac ſuffragiis amicorum prorſus ſecurus, itinere exantlatô certum ad officia honoratiora habiturus ſis acceſſum. Tu verò ea, quâ polles, modeſtiâ, hæc omnia Deo, fortunæ Medicæ Auctori, credens fata mihi æquè facilia & benigna augurabaris. Ita votis nos reciprocis lactabamus invicem, quibus, ut eventus docuit, pondus ineſſe juſſit benigniſſimus Orbis Arbiter, dum poſt tot rerum diſcrimina Patriæ noſtræ redditi iisdem ferè officiis admoti & præter omnem expectationem ad Philoſophorum ſubſellia devoluti ſumus ambo. Equidem vix ſoli mei limites attigeram, quùm juſſu Principali ad eadem docendi munia admovebar, quæ haud multo poſt Tibi ex Italiâ nuper reduci ocyus ſunt delata, poſtquam Hortus primum Academicus, mox ab obitu Inclyti MEZGERI univerſa Naturæ Hiſtoria Excellentiæ Tuæ eſt concredita, de quibus utrobique toto Tibi corde gratulor; faxit DEVS Optumus Maxumus, ut quas jure meritoque nactus es provincias, in ſeram poſteritatem ſalvus & incolumis exornes & quod facis, Majorum Tuorum, à tot retroſeculis celeberrimorum, gloriam atque famam æternitati conſecres! id quod de Tuâ æque ac Dn. Fratris natu minoris indole haud fruſtra ſibi promittunt omnes, quotquot Vos intus & in cute nôrunt.

De cæterô ſi in adverſis ſolatio eſt ſocios habuiſſe malorum, multò ſanè jucundius erit Amicos iisdem ſtudiis addictos eâdem aut ſimili conditione frui, quò ſententiis invicem collatis officii ſui onera herciſcant & ita quaſi dividant, ut junctis utrobique viribus ſe invicem allevare poſſint. Hinc noli ſuccenſere, quòd Te in naturæ, quam mecum excolis, difficultatibus extricandis in conſortium modò rapiam & quæ de luſu & erroribus Naturæ ſententia Tibi hæreat, inquiram? quæ utraque, ut noſti, ſat frequentia at ſimul obſcura Phyſicorum verba ſunt. Cùm enim rectum, ut vulgò dicitur, ſit obliqui regula, hinc fieri non potuit, quin ignoratâ hactenus naturâ, luſus ejus & errores quoque in occul-

occultô manſerint. Poſtquam verò Inclytus BOYLEUS nimis generale motus & quietis principium (per quod vulgò definitur) in mechanica corporum textura, vel, ex noſtrâ hypotheſi, inde reſultante ad motum inclinatione radicari docuit, multò nunc faciliùs aberrationes ejus atque luſus expedire licet, modô ſuetas motus leges ſimul admiſerimus. Quemadmodum enim unaquæq; pars materiæ (Philoſopho teſte) motum primitus acceptum nititur ſervare, ita ſi aliorum occurſu inde deturbetur, non poteſt non varietas aliqua in ſuetis Naturæ φαινομένοις obſervari, & ſi illa ipſa vel propiùs ad ſuetam corporum naturalium texturam accesſerit, vel ècontra longius ab illa receſſerit, eatenus analogiâ quadam aut ludere, aut errare dicitur Natura.

Eamus in exempla, è triplici naturæ regno utrobique hauriendâ, quorum pauca inſtar omnium: Et prioris quidem, *Luſus* puta *Naturæ*, ſpiſſa ſe veſtigia offerunt in mundo ſubterraneô, per varias terrarum lapidum & metallorum ſpecies, quæ pro matricum, in quas incidunt, diversâ habitudine Protei inſtar variis hinc inde formis ludunt, eoque ipſo miram hanc naturæ varietatem eò luculentiùs ob oculos ponunt. Videmus hoc in illâ margæ ſpecie, quæ ob duritiem plus minus lapideſcentem à nonnullis *lithomarga* dicitur, & externâ formâ quorundam animalium partibus ita ſimilis eſt, ut ovum ovo. Hinc à multis iisque celebratisſimis quibusvè Viris olim credebatur, *unicornu fosſile*, *dentes elephantinos* & *gloſſopetras* minerales partes eſſe animalium, à primo diluvii momento terrâ obrutorum inibique in ſaxa illa friabilia mutatorum. Verum utut inficiari nequeam, ſuccum aut (quod malunt alii) auram lapidificam porulis lignorum, cornuum aut dentium ſe inſinuantem ſubjecta hæc in lapides indurare poſſe, quùm *fontes* illud *lapidifici* reapſe probent: nihilo tamen minùs ſententiam illam pro fabulâ declarant alii, qui tam indolem illarum partium, quàm copiam ejusmodi mineralium accuratius ponderare ſolent. Hinc VVORMIUS in Muſeô ſuô curioſisſimô hæc ipſa fosſilia nihil aliud quàm margam, hâc vel illâ ratione figuratam

figuratam

guratam eſſe credit, quæ lactis inſtar per terræ cavitates transcolata ibidem in partium illarum formam abit, dum crasſior pars majores terræ cavitates implendo ſiſtitur & abſumtô omni humore coaleſcit in lapides illos, pro matricis & loci conditione varios, ut fuſius illud explicat & oſteocollæ exemplo illuſtrat Illuſtris quondam BAUSCHIUS, Academiæ Cæſareo - Leopoldinæ Nat. Cur. Præſes, in *Tract. de Unicornu foſſili*, quem in compendio recenſui in *Hiſtor. Literar. Cur. Contin. II.* Nec obſtat vis illorum diaphoretico - bezoardica, quam cum unicornu animali (undecunque demum petito) communem habere videntur: cùm juxta vulgare illud, duo cùm faciunt idem, non ſint idem. Sicut enim partes animalium illud ſali, quo abundant, admodum, volatili acceptum ferunt, ita mineralia hæcce fixiora nonniſi acidum p. n. abſorbendo, invertendo, aut enervando vim ſuam privativè ſaltem exſerunt; unde reſpectu indicationum aut ſigillatim, etiam in eodem affectu, ſed diversô tempore exhibentur, aut quandoque combinantur, quò vis unita fortior evadat, ut in Pulvere Bezoardico Ludoviciano obſervare licet, quô eventu felicisſimo ſæpe utor in febb. malignis diarrhœa complicatis; ſicut in Dyſenteria epidemica ejus æque ac Theriacæ n. camphoratæ vires nunquam non proficuas obſervavi. Nec ab illo multum abit in ſimili caſu à ſupra laudato Bauſchio adhibita compoſitio:

℞. Unicorn. min.
Terr. ſigill. alb.
CC. Philoſoph. calc. ana ℥iij.
♁. diaphor. ℥j.

Terantur ſubtil. & cum mucilag. trag. alb. F. globuli bez. in forma terræ ſigill. Turcicæ à ℈j. ad ℈ij. propinandi.

Haud abſimili modô tum in terra generari, tum à Medicis ad dictos modò affectus ordinari conſtat *linguas Melitenſes*, ſeu *Gloſſopetras*, in quibus mirè quoque ludit ipſa Natura, prout varias illarum figuras in & extra mineras oſtendit Inclytus D. MA-

JOR in *Deſcriptione Muſeorum in Africa* & *confiniis Europæ reper.* *Cap. IX.* Neque exiſtimavero ullum adhuc in vulgi ſuperſtitionem abiturum, qui lapides hos analogiâ quadam deluſus linguas ſerpentum à S. Paulo in Melitâ ſive occiſorum, ſive ejectorum eſſe credat, quæ plusquam Idololatrica plebejorum fabula à VVELSCHIO, VVORMIO, BARTHOLINO & aliis dudum eſt exploſa. Majori verò probabilitate gaudent illi, qui linguas has aut dentes Carchariæ, aut rudimenta *lapidis fulminaris* ſeu *ceraunia* eſſe credunt, quem non tam è nubibus à fulmine explodi, quàm in ipſis terræ viſceribus generari docent omnia illa, quæ fulminis ictum ſequuntur, veſtigia, & ſubſtantiam ejus longè ſubtilisſimam & tantum non inſenſibilem eſſe arguunt. Quodſi jam hujus occaſione ad lapides compactiores aut duriores eamus, neſcio an ullibi frequentior obſervetur hic Naturæ luſus, cum VVORMIO „teſte vix animal exiſtat, cujus non figuram aut partem aliquam „in lapide exprimere tentet: Vix ab artifice celebratum opus, „quod non in hôc genere imitari geſtiat. Non dicam modò de illis lapidum ſpeciebus, quæ figuras ſpecificâ quadam proprietate ſibi vendicant, ſive eandem à principiô quodam ſeminali, ſive texturâ ſuccorum lapideſcentium ad hanc vel illam figuram inclinantium, ſive demum ſoli matricisque ſituatione habeant, ut in *hyſterolithis Braubacenſibus*, muliebria exprimentibus, *conchite, umbilico Veneris*, *Bucardio* & aliis videre eſt. Nec de variis corporibus petrefactis ſermo nobis erit, cùm in apricô ſit omnia vegetabilia atq; animalia à ſpiritu lapidifico ſeu Gorgonico in lapides converti poſſe, adeò, ut integra Tartarorum Horda in quodam Tartariæ deſerto à vento hujusmodi lapidifico in lapidem immutata legatur: quamvis & illa certâ ratione ſive luſui, ſive errori Naturæ adſcribenda ſint; ſed illæ tantum lapidum figuræ nobis curæ cordique erunt, quæ materiæ lapideſcenti mero & fortuito quaſi Naturæ luſu contingunt, idque vel in tota ſui texturâ vel in extimâ ſaltem ſuperficie. Illud in confectionibus lapideis, Italis *confetti da Tivoli* dictis, obſervare eſt,

quæ

quæ pro varia guttularum lapideſcentium concretione mox in grana, mox in cylindros abeunt, confectionibus artificialibus haud difformes: Hoc verò partim in marmore illô variegatô, è quo *lapides Florentini* conſtant, partim in *Achate* intueri licet, quibus utrobique prorſus admiranda picturæ varietate ludit ipſa Natura inibique plantas, arbores, turres, oppida, regiones aliavè tanquam in ſcenâ quâdam repræſentat. Sic ex eôdem marmore globum aliquem Orbis terreni machinam offerentem posſedit quondam VVORMIUS, qui figuras iſtas haud inſulsè exhalationibus aut ſuccis quibusdam in lapide illô rimas agentibus & hinc inde excurrentibus adſcribit. Probat illud haud abſimile genus *marmoris de monte Sinai*, quòd ſimilibus, queîs Natura gaudet, iconibus illicò privatur, ſi in ignem projiciatur, quatenus ſucci & exhalationes metallicæ à vehementisſimo ignis motu expulſi maſſam quaſi informem omnique tincturâ ſpoliatam relinquunt. Longis verò paraſangis illæ figuræ eminent præ aliis, quas in *Achate* ſæpè fabricat Natura. Pretioſi ſit & operis & artificii negotium picturæ illius aut cælaturæ ſpecies, quam *Moſaicam* vel *Muſaicam* vocant Itali, dum variegatæ coagmentatis lapidibus pretioſis icones & effigies aliorum corporum naturalium imitantur: Stuporem ſanè incutit *Achates* Invictisſimi Monarchæ LEOPOLDI, in auguſtisſimo Gazophylacio Viennenſi obſervandus, qui ultra duas, quas in circumferentia habet ulnas, picturasque admirandas XII. exhibet characteres lunatâ Turcarum lineâ à Naturâ inibi depictas, ſeq. ferè ordine:

B X R I S T O R S X ∞ X.

quos celebre Muſis nomen *Petrus Lambecius*
ſic explicat:

BEATORI ORBIS,
vel
BEATORI GENERIS HUMANI
CHRISTO REGI
SEMPITERNO, TRIUNI, CRUCIFIXO.

Totam verò curioſiſſimi hujus Achatis efficiem à Sacrâ Cæſareâ Majeſtate Academiæ Germanorum Curioſæ Gratioſiſſimè conceſſam procul dubio obſervaveris in *Miſcellaneis* Noſtris *Decif. I. Anno I. Obſ. 112. pag. 205.* Porrò neque in abditis *Metallorum* fodinis ludere deſinit alma Mater Natura, quæ ut arte in monetas diverſimodè redacta Antiquariorum ſcrinia exornant, ita in profundis terræ viſceribus adhuc germinando variâ ſubinde ſpecie oculos perſtringunt. Non enim rudi minerarum glebæ ſemper adhæreſcunt, ſed quandoque *pura* atque *apyra* è ſuis matricibus depromuntur, quarum poros ſubeundo ſibique racematim juncta ramos, frondes, arbores, capillos & alia merô Naturæ luſu repræſentant; unde VIRGILIUS:

- - - *Auri per ramos aura refulſit.*

Sic Illuſtris BOYLEUS in Chymiſtâ ſcepticô ſibi Virum fide dignum affirmaſſe ſcribit, quòd in fodinis Ungaricis minerale viderit effoſſum, in quo auri fruſta humani digiti magnitudine ſuccreverint, ac ſi partes ramique arboris fuiſſent. Sic argentum pariter ramoſum, vitem quodammodò referens, furcatum item cornu cervi æmulans, criſpatum, capillare &c. enumerat VVORMIUS *l. c.* Quò meritò referenda eſt *arbuſcula argentea* e minera quadam Norvagicâ, cujus longitudo ulnam dimidiam æquabat, quam inter Regis Daniæ rariora quondam vidit JOH. BOHNIUS, Anteceſſor Lipſienſis. Unde fortè ars Naturam imitando *Arbores Philoſophicas* (uti vulgo audiunt) invenit, de quibus elegantem atque curioſum Commentarium ad prelum jam paratum habet in vicina Academiâ Marpurgenſi DN. PEIKENKAM, rerum naturalium amantiſſimus; neque figura tantùm externa, ſed & colore quandoque in metallis ludere naturam, *aurum* probat *candidum* in Cerconoſſiis Bohemiæ montibus aliquoties effoſſum, ut αὐτόπτης Jeſuita BALBINUS in *Hiſtor. Bohem. Part. I. Cap. XIV. pag. 40.* atteſtatur, quod argentum eſſe jurarent alii, niſi pondus & aliqualis in metallo diffuſa flavedo contrarium adſtruxerint. Unde

Unde non ficulneum chryſopoeiæ argumentum quis haurire poſſet, de quâ fusè & egregiè Beatiſſimus MORHOFIUS in Epiſtol. ad D. Langelottum de *Tranſmutatione metallorum.*

Aſt miſſo fodinarum luſu ad ipſius Naturæ errores deſcendamus, quibus à Regno Vegetabili atque animali frequentius abludit. Interim neutiquam eorum ſubſcripſero conſuetudini, qui rariora quævis in regno vegetabili occurrentia & ex ſuperfluitate ſucci nutritii quandoque genita monſtris & erroribus naturæ ſolent accenſere, dum e. g. raphani, melones aliique fructus ſolito majores obſervantur, plures ex eadem gluma ſpicæ aut ex eodem pediculo duplicatæ roſæ pullulant, ſicut olim Altenburgi unus idemque pediculus tres perpendiculariter ſibi ſuccedentes roſas ſuſtinuit, quas in figurâ æneâ ob oculos ponit Inclytus D. MAJOR in *Appendice* des unvorgreifflichen Bedenckens von Kunſt und Naturalien Kammern insgemein: Hæc enim luſu potius & Naturæ liberalitate, quam errore ſubnaſcuntur, quùm aura vegetabilis & ſucci circulantes impetu majori tubulos plantarum inſufflando in ſummitate florum rimas agunt ibidemque nova florum ſtamina contexunt, id quod ſequenti modô expedit laudatus Author: Und nachdem ein Kraut mehr oder minder von ſolchem Spiritu hat / wie auch / nachdem die euſerliche Wärme der Lufft mehr oder minder dergleichen fermentation befodert / nachdem befinden wir ſolches auß dem effect mit Händ und Augen; und wünſchen den Peripateticis einen ſchönen Bonus Dies, die in dieſen und dergleichen Dingen nichts anderſt wiſſen / als von ihren Formis Specificis zureden. Sic neque variæ & à CROLLIO curioſè obſervatæ plantarum *ſignaturæ* huc trahendæ ſunt, quæ iiſdem ſunt perpetuæ & quodammodò ſpecificæ; verum illa vegetabilia ex errore quôdam naturali genita dicuntur, quæ à conſueta, quam aliâs obtinent, in monſtroſam abeunt figuram ſuisque partibus, ut vocant, integrantibus aut excedunt, aut deficiunt. Ita non tantum monſtri ſed & prodigii quid alit *ſiler acinacis formâ ſanguinolentus*, cujus mentio eſt

facta in *Actis Haffnienſibus Vol. III. Obſerv. XCII. pag. 170.* Non minus huc trahenda eſt *Nux monſtroſa* BARTHOLINI membro virili non abſimilis *Vol. I. Act. Haffn. Obſ. XXVI. pag. 56.* Quin & *ſemina mori ſubventanea*, quorum in nuperrimis *Ephemerid. Dec. II. An. 9. Obſ. 122. pag. 212.* meminiſti, huc pertinere videntur, quibus hâc vice addo *pruna ſubventanea* noſtris in hortis hôc anni curriculô copioſè reperta, quæ veris triplo majora & pelliculâ craſſiſſima ſubviridi gaudebant, nucleo verò prorſus deſtituta erant. Obſervantur autem illa tunc potiſſimum, ſi quando præmaturum veris calorem frigus quoddam ſubitò inſequitur, quô fieri ſolet, ut nuclei intus frigore aduſti concidant, extimæ verò pelliculæ frigori mage reſiſtentes tubulis ſuis ſuccos circulantes recipiendo creſcant, aereque gravidæ ad tempus pendulæ arboribus inhæreant.

Nullibi verò pluribus ac in *Oeconomia animali* erroribus eſt obnoxia Natura, id quod *Monſtra* omnis generis atteſtantur, quorum utut haud pauca ſint ab Ethnicis & Poëtis efficta, Sirenes ſc. Centauri, Hippocentauri &c. nihilominus tamen larga ſatis & in brutis & hominibus illorum ſeges eſt, adeo, ut quodam illorum tædio correpta S. R. I. Acad. Nat. Cur. peculiari *Monitoriâ* An. 84. Typis expreſſa caverit, ut in *Miſcellaneis* ordinariis temperantia quædam in hôc argumenti genere adhibeatur, cum ARGONAUTA teſte, monſtra non ſint curæ Arti; neque in illorum generatione peculiare quid occurrit, cùm eundem fere ortum habeant. Quamvis enim præter LICETUM, SCHOTTUM & alios plures illorum cauſas enumeret WECHTLERUS *de Hom. Oriente Lib. I. Diſp. 3. pag. 88.* omnes tamen in eô conveniunt, quod ab ipſius Naturæ dependeant errore, in quantum Archeus in partium delineatione occupatus in motu ſuô quavis ratione impeditur. Neque enim de nihilo ſunt, quæ Philoſophus *Tr. de Formatione Fœtus* habet, dum eandem non tam Virtute Scholarum Plaſtica, quam mechanicô ſpirituum & Naturæ motu abſolvi credit, in quo ſi quacunque de causâ aut præpediatur aut turbetur,

tur, non poſſunt non variæ particularum deturpationes inde proficiſci, quemadmodum hoc fuſius olim proſecutus ſum in peculiari quadam *Epiſtolâ de Monſtrorum Haſſiacorum Ortu*, quam pro coronide ſimul adjicio, eaque propter intra literarum limites me continens ne verbum amplius hîc addo, niſi quod Excellentiam Tuam admodum obteſter, velit & ſui animi ſententiam hæc deſuper mecum communicare & quod in Exteris olim ſancivimus, amicitiæ fœdus ſartum & perpetuum ſervare, cujus ego nulla unquam capiar oblivione, en dextra fideſque! Vale. *Dab. Giſſæ Heſſorum d. 26. Novembris,* Natali meo, *Anno 1691.*

DISSERTAT. EPISTOL. VI.

DE MONSTRORUM HASSIACORUM ORTU ATQUE CAUSIS.

Ad

D. JOH. DAN. DORSTENIUM, Med. D. & Prof. Marburgenſem.

EXCELLENTISS. DOMINE.

VIx duo diffluxêre menſes, ex quô Mercatores noſtri Marburgô reduces de novô quodam monſtro, haud procul inde natô, mentionem facerent: cui tamen vulgi relationi an fidem adhiberem, dubitabam primò, donec obtentis ab Excellentiâ Tuâ literis amabilibus ejus non tantùm certior

tior redditus, ſed & partus hujus tum deſcriptione, tum figura inſimul Anatomicâ donatus fuerim, quibus neſcio an quid unquam gratius accidiſſe potuerit. Neque enim facile dixero, quantum aut delectationis aut emolumenti capiam è reciproco literarum commerciô, quod cum eruditis ævi noſtri Viris tempeſtivè ineundi omnem, quam potui hactenus occaſionem ſum venatus: Quos inter & Tuam Excellentiam ſincero uſque affectu colui; cujus ut in publicum exſtet argumentum, eſt quod quæſivi diu, uſquedum ex improvisô ſe inſolita hujus monſtri tulerit hiſtoria, quâ obſtetricante pauca de monſtrorum ortu fortè commentari tuoque Celeberrimo Nomini inſcribere volupe quidem erat. Verum enim verò cùm paulò poſt Magnificum Dn. WALDSCHMIDIUM omnem hujus rei fundum occupaſſe viderim & decæteró quoque conſtet, Ampliſſimam Tuam Excellentiam peculiarem jam hoc de argumentô meditari diſſertationem, mutavi rurſus animum, ne vel Iliada poſt Homerum cantitaſſe, vel noctuas Athenas attuliſſe videar. Intereà factum, ut alius heîc de parili monſtro ſpargeretur rumor, quòd in vicinâ nobis moletrinâ haud ita pridem enixa fuerit molitoris uxor; unde novum mihi ſtimulum ſuccreviſſe ſenſi, quò cœptum antè propoſitum refricarem & in φαινομένων ejuſmodi præternaturalium hiſtorias atque cauſas inquirerem. Quamvis enim ita felici mihi eſſe non licuerit, ut hoc, quicquid eſt oſtenti, ſive oculis ſive cultro Anatomico ſubjeciſſe datum ſit; id tamen ex oculatorum fideque digniſſimorum teſtium relatione refero, quod Gemelli quoque fuerint in truncó corporis monſtroſè concreti, vivi tamen ambo in lucem editi, utut paulò poſt, acceptô prius SS. Baptiſmatis chriſmate ſucceſſivè exſpirarint. Quod autem externum membrorum apparatum concernit, id ferè commune habuêre cum nuperis haud procul à Marburgô genitis gemellis, quod unô tantùm umbilici fune cohærerent, ſitu verò corpuſculorum immane quantum diſcrepantes, qui contrarius iis & inverſus planè fuit, ita quidem, ut inversè ſibi implicati caput unius ſuperiorem, al-

terius

terius verò inferiorem regionem occuparit, ſicut id figura *Anno III Decur. 2. Ephemerid. German. Curioſ.* proximè inſerenda fortè exprimet. Antipodum ſchemate naturam luſiſſe dixeris & hoc ipsô monſtro eorum illuſtraſſe exiſtentiam. De internâ verò viſcerum ſtructurâ nil habeo quod dicam, cùm ſub ſilentii fere ceſpite tumulata computreſcant.

Interim cùm notabile fortè ſit, quod hic monſtrorum ortus in idem planè tempus ceciderit, non potui, quin Nobiliſſ. Tuam Excellentiam ejus certiorem redderem & quas ex hôc argumenti fonte nuper hauſi cogitationes, ſubacto Tuo & edecumato judicio committerem. Equidem ſi ullibi ars Naturam imitatur, id in naturali monſtrorum hiſtoriâ quam abundè fieri jure fortè dicerem. Sicut enim monſtra nil niſi Naturæ ſunt errores, ita fœcundâ ſui progenie & aliis ſimiliter errandi largam fecêre copiam, cum poſito unô abſurdorum nexu indiviſibili ſequantur alia. In teſtimonium appello tantùm non omnes Phyſicos & generales & ſpeciatim illos, qui hoc argumenti genus fusè proſecuti ſunt, quorum antiquiores enumerat Vir ſummæ eruditionis multæque experientiæ D. D. SCHEFFER in *Directoriô Medico Practico:* Recentiores verò LIPENIUS in *Bibliothecâ Medicâ Reali.*

Niſi enim ipſum factum & hiſtoriam excipias, parum hinc inde reperire licet, quod animo vivæ veræque doctrinæ cupido poſſit ſatisfacere, cùm utrobique multum ſæpè eloquentiæ, ſcientiæ verò naturalis parum obſervetur. In cujus rei cauſas ſi inquiramus, duas præprimis offendere licet: Primam quòd Anteceſſores noſtri in priorum temporum curſu quoad arduum generationis opus juſtò fuerint negligentiores, ac unius ultra vel alterius Pagani dogmata ſapere noluerint. Itum eſt per exempla Majorum & quæcunque Ariſtoteli vel Galeno olim placuêre, poſt velut oracula quædam è Tripode dicta ſupina prorſus ſuperſtitione crudelique credulitate ad poſteros uſque derivata ſunt: Quin adhuc hodie ſæpè itur, quà itur, non quà eundum. Ab alterâ deinde parte doctrinæ huic obicem quoque poſuêre ſpiſſæ, quæ

abſconditam generationis œconomiam comitari ſolent, difficultates. Sicut enim rectum ſemper norma eſt & regula obliqui, ita fortè tamdiu vera monſtrorum ætiologia dari non poterit, quoad ipſe ſive conceptionis ſive generationis ordo fuerit in dubiô. Equidem multum, fateor, lucis huic rei acceſſiſſe nuper, cùm ovaria hominis conceptio in forô Medicô deciſa fuit, quam feliciſſimè partim invenêre, partim uberius edocuêre Viri æternitate digni: COURVEUS, STENO, SWAMMERDAM, HORNIUS, KERKRINGIUS, GRÆFFIUS, GARMANNUS, FRANCUS, PEYERUS, DOLÆUS, BARTHOLINUS uterque, alii; non tamen etiamnum deſunt, quæ negotium hoc curatius penſitanti crucem figere poſſunt. De ipſius quidem rei veritate dubitare qui vellet, propriam aut ignorantiam aut ſummam mentis annonam in apricum daret. Militat hîc tot Anatomicorum authoritas & rem ultrò confirmat quotidiana autopſia. Cùm verò ad modum itur & ſpecialis omnium partium ſchematiſmus & conformatio determinanda venit, heîc demum aqua ſæpè hæret. Neque enim certò conſtat, an in ovulis illis genitalibus omnium partium ſtamina jam efformata deliteſcant, an verò ſub primis conceptionis diebus earundem demum delineatio fiat? & quamvis hæc quoque in expeditô ſint, cognitu tamen difficile eſt, quâ ratione & quô modô vel ordine partes illæ ſive conformentur ſive explicentur; & quis tandem ſit Thaumaturgus ille, qui admirabilem hanc corporum ſubſtructionem & inchoare & perficere ſolet? Qui cum Antiquariis facultatem animæ formatricem ſuſtinere ſatagunt, elegantioris doctrinæ Viris riſum movere ſolent. Demonſtrandum prius erat an hoc de animæ rationalis ſit officio, ut ad actiones illas automaticas concurrat, cui functiones rationales & cogitativæ jam ſatis negotii faceſſere poterant. Et ut non dicam, quòd anima rationalis actionum harum nunquam ferè conſcia ſit, id ſaltem urgeo, quòd gravitati Peripateticæ prorſus non conveniat principiorum olim receptorum oblivíſci, quæ nullam planè

inter

inter materiale & immateriale proportionem eſſe categoricè concludebant. Alius ergò prodeat Architectus, qui operi huic manum commodet & operam, ipſi nempe ſpiritus automatici, qui vel hôc nomine ab Illuſtri HELMONTIO non inſulsè Archei nomine venire ſolent. Hi etenim ſub genituræ virilis tegmine certo numerô, pondere & menſurâ concentrati eum in finem arvum muliebre irrigare motuſque ſui terminum tantiſper expectare ſolent, donec dulci ſibi connubiô maternorum ſpirituum copulam adſciſcentes, in omnes ſe dimenſiones explicandi variisque ſuis excurſionibus prima fœtus rudimenta ducendi occaſionem nanciſcantur. Unde jam porrò liquet, quâ ratione mirabilis hæc partium formatio fieri poſſit? cùm enim ſpiritus illi naturâ ſuâ ad motum proclives, & ut Generoſus CARTESIUS ſæpè loquitur, in continuâ ad motum propenſione conſtituti ſint, non poſſunt non commodô tempore vel locô ſeſe explicare & ad nova ſibi domicilia paranda omnem movere lapidem. Non tamen putandum eſt hunc ſpirituum motum vagum prorſus eſſe & erroneum, ſed omninò ſingularem & omnium, minutiſſimarum quoque, partium ideis determinatum, quas in tali ſpirituum plicâ & texturâ conſiſtere exiſtimarem, quâ certâ proportione eô in ſitu, poſiturâ vel figurâ concentrati ſunt, quâ machinæ humanæ fabricam ipsô aliâs actu informare & dirigere ſolebant; & in hâc elaſticâ quaſi plicâ idearum non tantùm, ſed & virtutis illius plaſticæ rationem formalem conſiſtere jamdudum publicè probatum dedi.

Hinc quoque ſponte ſuâ fluit admirabilis illa ſimilitudo, quæ Parentes inter atque filios intercedere ſolet, non ad faciem ſolùm, ſed & omnem ferè membrorum apparatum, ita quidem ut, quod ſæpè ſtupui, ingreſſu quoque & pedum alternatione ſæpiſſimè Parentes æmulentur liberi. Nil dico de ſimilitudine morali & affectuũm affinitate, quæ integras inter familias ſæpè obtinere ſolet, quò Germanorum noſtrorum proverbium abit: **Der Apffel fält nicht weit vom Stamm.** Ideæ ergò

genitales, in hâc ſpirituum texturâ radicatæ, ſunt veluti norma quædam atque regula, quæ vagum ſpirituum motum dirigere & in formandis membris adjuvare ſolet. Ubi tamen non prorſus excluſero mechanicas motuum leges, quæ omninò etiam ſuas hôc in punctô partes agunt, ſicut id Illuſtris CARTESIUS in nobili *de Formatione Fœtus* libello & genuinus Ejus Interpres WALDSCHMIDIUS in nupera *Diſputatione* eleganter & ad oculum oſtendêrunt. Unde jam porrò eluceſcit diverſitas, quæ oviparorum ova à viviparorum ovulis diſtinguit & reliqua ſuperius enarrata dubia commodè expedire poterit: In illis enim omnium particularum ſtamina jam perfectè delineata ſunt, haud aliter ac in plantarum ſeminibus idem ſpecillis ſuis obſervârunt GREWIUS, MALPIGHIUS, BAYLE, BOHNIUS & alii; & hinc eſt, quod non vivô tantùm animalis fotu, ſed quocunque etiam calore fœtus inde atque pulli excludi poſſint, ſive naturalis ſit ſive artificialis: Illud ex communi Phyſicorum traditione conſtat, qui ſtruthionum ova in arenam locata ſolis æſtu recludi ferunt, cujus rei veſtigia jam in ſacris exſtant: hujus verò experimentum habet Africanorum ars, qui certô furni tepore magnum ovorum numerum ſimul excludere norunt, id quod in Daniâ quoque tentaſſe olim celebrem BARTHOLINUM ex *Obſervationibus* ejus conſtat, utut primâ vice non bene ceſſerit experimentum. Longè verò aliter in genitalibus viviparorum ovulis res ſeſe habet, ubi partium ſingularum fabrica ſub primis conceptionis diebus aut efformari aut delineari ſolet, id quod tamen in ipsô jam ovariô, antequam in uteri cavum perveniat, contingere certum eſt, & ſectiones Anatomicæ ad oculum demonſtrare poſſunt; unde & modus eſt petendus atque via, quâ ovula illa, embryonum typum continentia, in uteri concamerationem pervenire ſolent, id quod per Tubæ Fallopianæ ductum ſucceſſivè fieri experimentis ſuis & figuris jam dudum obſervârunt Recentiores Anatomici: RUYSCHIUS, GRÆFIUS, BARTHOLINUS, DIEMERBROEKIUS aliique. Quin & ipſæ

ſæpè

ſæpè mulieres hos ovuli greſſus & progreſſus ſentire ſolent, quæ ut ſub primis imprægnationis diebus horrore quodã febrili ſuccutiuntur, ita paulò poſt per aliquot dierum ſpatium ad regionẽ iſchiaticã titillationem quandam perſentiſcunt, es kitzelt ſo nach dem Schoos zu / ſicut id ex orali curioſarum matronarum confesſione quivis haurire poterit. Ut enim mediante titillatione hâc ſenſibiles admodum tubarum uterinarum extremitates ovario applicantur, illudque ſingulari modó exoſculantur, ita ferè ſenſus hic eousque perdurare ſolet, donec ſuperató tubæ ductu anfractuoſo in uterum protrudatur ovulum & per affluentem ex arteriis pultem nutritivam ulteriora incrementa capiat; vias atque modum curatisſimè deſcribit NEEDHAM in *Disquiſ. Anat. de Formatô fœtu*, qui hâc in parte Dux omnibus & Auctor eſt; & huc usque fere procesſit curioſa Modernorum ſolertia in perſcrutando ortûs noſtri labyrintho. Quodſi jam naturalis hic generationis ordo ſubvertatur & in formandâ partium Symmetriâ inſignis idearum confuſio fiat, non poteſt non evenire, ut varii partus inde monſtroſi propullulent, quorum tres ferè cauſas hactenus docuêre Scholæ, facultatis inquam formatricis aberrationem, ſeminis ſive penuriam, ſive redundantiam & uteri tandem conformationem vitioſam. Sed omnia ex principiis malè fundatis. Omni enim facultate nunc privatæ ſunt à Modernis animæ facultates, ſicut ſupra retuli. Quid quod in brutis & vegetabilibus totô die generentur monſtra, quibus tamen nec ratio ineſt nec intellectus. Utrobique magnum exemplorum numerum ſuppeditare poterunt *Ephemerides Germanorum curioſæ* & vel unica illa, cujus Excellentia Tua nuper me participem fecit, obſervatio, de monſtroſo valdè & acinacis inſtar ſuccreſcente violæ matrimonialis caule hujus rei fidem facere poterit & parile fere φαινόμενον in Coronâ Imperiali adhucdum oſtendit Hortus Academicus Giſſenſis. Sic altera pariter de ſeminis ſive quantitate, ſie qualitate ſententia prorſus ſterileſcit, cùm de maris genitura nil quicquam in u-

terum penetrare, ſectiones HARVÆANÆ certò demonſtrarint. Neq; tandem video, cur ipſius uteri ſtructura tantoperè accuſanda ſit, cùm prima monſtrorum rudera jam in ipſis teſtibus dubio procul ſint formata, antequam in uterum dilabantur. Sicut enim tenerrima partus naturalis lineamenta in ipsô ſive ovariô, ſive oviductu adhuc hærente ovulô accuratisſimè conſpici poſſunt, ſi curioſum microſcopiorum adminiculum in uſum vocaverimus, de quibus fusè agit primus, quantum ſcitur, eorum Auctor FRANCISCUS FONTANA, & qui eum ſecuti ſunt, BORELLUS, HOECKIUS, VVALDSCHMIDIUS, SCHRADERUS, alii; ita idem quoque in primâ monſtrorum figuratione obtinere certum eſt. Illic enim omnium particularum ſtamina tenera adhuc ſunt & tractabilia, unde facilè confundi poſſunt varieque irretiri, quamprimùm idealis ſpirituum motus (qui heîc omne fert punctum) à ſueto tramite aberraverit & in varias eccentricitates diſtractus fuerit. Hinc enim illæ lachrymæ! quibus occaſionem plerumque ſubminiſtrare ſolent affectus externi, terrores imprimis, non vulgares & ex pelvi fulgurantes, ſed extraordinarii prorſus atque tales, quæ ſive vitæ, ſive omnis fortunæ jacturam minitentur. Certum enim eſt inſolita ſenſus tam externos, quàm internos fortius ferire, cum & hîc valeat regula HIPPOCRATIS, quod inſueta ſuetis ſint deteriora: Id quod non hominibus modò ſed & ipſis brutis commune eſſe, eleganter oſtendit celeberrimus D. BRANDIUS in relatione Germanicâ *de ovô Cometico Marpurgi repertô Cap. 4. §. 2. ſeqq.* Notatu ſanè dignisſimum arbitrarer, Vir Excellentisſime, quòd eô præcisè tempore monſtrorum ejusmodi prægnans fuerit Hasſia noſtra, quô juratus Chriſtianorum hoſtis caſtra movere omniaque ſusque deque vertere, & dira quævis minari ſuevit; id quod non nudius tantum tertius, ſed retroactis longè temporibus contigiſſe, exemplis aliquot demonſtrare liceat. Equidem ſi ſuperioris ſeculi annales evolvamus, oppidò apparebit, quàm inſignis belli apparatus anno 1577. in Porta Ottomannicâ conquiſitus fuerit, quô auditô univerſa ferè Europa ſubitaneô

taneô quodam terrore perculſa nil æquè magis extimuit ac horribilem Turcarum tyrannidem. Utut autem faba illa non tam in Auguſtisſimum Romanorum, quàm Perſarum potius Imperatorem cuſa fuerit (à quô poſtmodum univerſus & Tartarorum & Turcarum exercitus memorabili ſtrage profligatus & radicitus everſus fuit, ſicut id ex SLEIDANO, MüNSTERO & Hiſtoricorum aliis conſtare poterit) nihilo tamen minus eódem adhuc anno, ob conceptum fortè terrorem quidam Hasſiæ pagus Hohenreichen monſtrum tulit prorſus inſolitum, cujus iconem quoque Serenisſimis Hasſiæ Principibus transmisêre ſubditi. Aſt parum hoc videri poſſet, niſi recentiora, quæ hoc noſtrô ſeculô contigêre, ſuppeterent exempla; ſi enim annorum retroactorum memoriam recolamus, neminem credo, latere poterit, quantas ante hos & viginti annos in universâ Germaniâ turbas dederit magnum illud Orientis monſtrum, cùm anno 1663. ſub primis ætatis initiis factâ in Hungariam irruptione toti Chriſtianeitati certum, ut ſolet, exitium minaretur? anno ſubſequenti 1664. ad primos veris acceſſus VVetteravia vicina monſtrum parturivit horrendum, quod deinde ex indultu Principali theatro Anatomico Giſſeno in victimam cesſit, ſicut iconem ejus & deſcriptionem exhibet Diſputatio paulò poſt publicè de eô habita; quin & in Theologicam conſiderationem tunc à B. Dn. ERNESTO MüLLERO tractum & elegantibus rhytmis Germanicis delineatum fuit im Buß-Spiegel. Et eadem, nî fallor, ratio eſt novisſimorum Hasſiæ monſtrorum, ſpeciatim iſtius, quod Eruditorum Marpurgenſium oculos nuper pavit & curioſitatem. Quis enim tam obtuſæ mentis eſt, cui non amplius conſtet, quantô mox terrore perculſa fuerit univerſa Germania, cùm ex inopinatô ſubitanea illa & præpropera Viennæ obſesſio nuper increbeſceret? actum videbatur, non tantùm de nobilisſimis Auſtriæ, Ungariæ aliisque regionibus, ſed omni ferè Germania, ni Deus T.O. M. vicinum Polonorum Regem atque univerſos S. R. I. Status in ſuppetias armaſſet, quorum Virtus glorioſa erit in æternum. Nulla

enim

enim poſteritas ſecutura eſt, cui non ſumma Saxonum fortitudo ſtabit in exemplum, qui glaciem fregêrunt & ſpumantes hoſtium impetus fortiter ſuſtinuerunt. Nec intermorietur unquam adamantina STAREMBERGIORUM conſtantia & generoſitas, quàm vel ex oculis legere potui, cùm ad devotum manuum oſculum gratioſè me admitterent. At verò cùm tantorum Heroum nomina omni prorſus encomiô ſint majora, hinc jam in viam redeo & inde porrò concludo, terrorem illum & truculentas Turcæ minas veram eſſe monſtrornm Haſſiacorum occaſionem. Neque enim accidentarium illud & fortuitum planè crediderim, quod iis potisſimùm annis partus ejusmodi præternaturales obtigerint, quibus univerſa Chriſticolarum caterva Turcarum furoribus exagitata fuit, id quod jam tribus vel quatuor vicibus accidiſſe conſtat. Et ſi præterea ſupputationem probè fecerimus, conceptio horum partuum præciſè incidet in illud tempus, quô primô impetu & inſultu Germaniam inferiorem egit Tyrannus ille monſtroſus (propter quod enim unumquodque tale eſt, illud mage tale eſt) quô in efformandis ſtaminibus occupata natura facilè turbari & in confuſionem agi potuit. Accedit & hoc, quòd ruricolæ cumprimis huic monſtrorum infortunio plerumque ſint obnoxiæ, quæ nil æquè magis, quàm calamitates bellicas pertimeſcere ſolent, quarum incommoda ferè luere tenentur. Neque enim ignorant quod, ſicubi delirent Reges, plectantur Achivi: Utut vix quicquam adeò malum eſſe posſit, quòd non & boni quandoque rationem induat, cùm exactiones illæ bellicæ quædam quaſi fræna videantur aliis, queîs indomita ruſticorum gens in terminis ſuis coerceri ſolet, ne fortè criſtas erigat, ſi nimia libertatis ſuæ & felicitatis incrementa viderit, de quibus fusè ii, qui de vitâ ruſticâ ſcripſerunt, HESIODUS ſcil. DEMOCRITUS, CATO, PLINIUS & ipſe AUGUSTINUS. Speciatim verò Mahumetana proſapia quàm maximè exoſa hominibus noſtris, imprimis mulierculis, quæ vel ad ſolum Turcæ nomen contremiſcunt, quandoquidem à Paſtoribus pro concione

ne publicâ ſæpè furibundam Tyranni hujus crudelitatem per decem prædicamenta prædicari audiunt, quòd & embryonibus in utero matris parcere neſciat, parvulos palis infigat & quæ ſunt alia: Hæc enim Mulierculis, procul licet à fulmine conſtitutis, terrorem facilè incutere & monſtroſis hinc conceptibus occaſionem dare poſſunt. Et inde fortè eſt, quòd calamitates publicas inſigniores monſtra plerunque aut comitari aut ſubſequi ſoleant, id quod ex Hiſtoricis fusè probari poſſet, niſi epiſtolæ mihi leges obſervandæ ſint, quas prolixitate meâ jamdum neglexiſſe videri potero. Hoc tantùm addo, quod exinde non planè de nihilô ſit commune dicterium, quod partus monſtroſi ſemper ſint ominoſi; quamvis eundem hîc errorem latuiſſe ſentiam, qui Veterum aliâs pathologiæ ferè communis eſt, quando ſæpè illud pro causâ morborum venditare amant, quod eorundem effectus potius erat & productum. Ita monſtra pariter non cauſa ſunt vel ſigna malorum prognoſtica, ſed inde reſultantes effectus.

Et hæc quidem ſunt, Vir Excellentiſſime, quæ hoc deſuper argumentó nuper meditatus ſum. Integrum jam erit & omninò liberum veritatem ulterius indagare, cui ſi minus fuerint conſona, in fumum abeant & ignem Vulcano ſacra. Haberem quidem & alia, quæ obſcuro admodum & difficili tum conceptionis tum generationis negotio majorem fortè lucem affundere poterant; verùm cùm jam ante conſtet, quod quæ hâc de materiâ à juvene in caſtó cælibatus ordine adhuc vivente proficiſci ſolent, ſiniſtrè explicare ament religioſiores, ſcilicet! & in ſpeciem ficti Domini, qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt, aut vixêre dudum: Hinc in aliud ea tempus reſervare debui, quô Pronuba fortè Juno pleniorem dicendi licentiam dederit. Varia enim ſunt hominum judicia, quæ pro ſuô ingenii modulô aliis ea facilè imputare ſolent, à quibus reverâ ſunt alieniſſimi. Quæcunque verò pro ſtudii noſtri ratione Medicaque libertate protuli, boni, ſpero, conſulent æqui rerum æſtimatores, qui nec invidiæ nec aliarum paſſionum toxicó bullientes rectè diſtinguere nôrunt, quid di-

 ſtent

ſtent æra lupinis. Et horum quoque partes tenuiſſe ſemper Excellentiam Tuam Nobiliſſimam, multis mihi Bonitatis argumentis hactenus probatum dedit, quæ non gratô ſaltem animo reſpicio, ſed & ubicunque ſe truſerit occaſio, meis quibuſcunque ſervitiis pro virili demereri ſtudebo. Noſti, nî fallor, ſinceritatem meam, Vir Excell. & quàm longè abſim à fucatis verborum lenociis, quandoquidem non verbis magis, quam opere ipsô teſtari amo affectum meum atque animum honoris Tui cupidiſſimum. Scævola ſim, & ardeat hæc dextra mea, niſi pectus ſemper meum ardeat amore Tui! *Vale.* Scribebam *Giſſæ Idibus April. An.* 1684.

DISSERTAT. EPISTOL. VII.

DE

ORIGINE FONTIUM,

Ad

DN. JOBUM LUDOLFI,

Sacr. Cæſ. Maj. Conſiliarium.

VIR πολυμαθέστατε!

QUoties ſemeſtrales Francofurti Veſtri nundinas inviſens TE, PATRONE, ſalutatum venio, novas plerunque ſtudiorum acceſſiones inde perſentiſco. Quod enim de Attico ſuo NEPOS, *nunquam ſine aliquâ lectione apud eum cœnatum fuiſſe*, refert, *ut non minus animo, quàm ventre convivæ delectarentur*, id ſi Tuo dixerim quadrare Genio, parum vel omnino non erravero. Equidem vix eloqui poſſum, quantum me refecerint ſermones eruditiſſimi, queîs, cum Per Illuſtri Tuæ Amplitudini

dini pronuper accumberem, ex omni elegantiori literatura me paſcere dignabâre. Non dicam modò, quæ occaſione *Collegii Imperialis Hiſtorici*, quod communis nobis amicus D. PAULLINI cum Verſatiſſimis Germaniæ Hiſtoricis inire contendit, de primævô Germanorum ſtatu ex Claſſicis TACITI, CLUVERII, CONRINGII aliorumque ſcriptis fusè diſſerebas. Nec addidiſſe licet, quæ circa nuperas *Epiſtolas Samaritanas* à Doctiſſimo Cellario pace Tuâ editas, de abſtrusâ Sichemitarum gente referebas. Eorum ſaltem non poſſum non recordari ſæpius, quæ vel è tribus Naturæ regnis, vel & Artis Medicæ penetralibus mecum, quæ Tua eſt humanitas, dividere non gravatus es. Curioſiſſima ſane erant, quæ de fucô *Cohol*, è ſtibiô parato edocebas, quô ut ambigua quædam S. Scripturæ loca ſatis evidenter expedis, ita genuinum alcohol æque ac collyriorum fontem quaſi digito oſtendiſſe videris. Sicut enim illic analogiâ quadam ducti quoſvis ſive pulveres ſive liquores volatiliores alcoliſatos appellarunt Chymici, quod Orientale cohol eâ præ cæteris ſubtilitate gaudet, ut ex ſpeciminibus ab Illuſtri GRANDIO Venetiis obtentis ad oculum apparet: Ita *collyria* quaſi *cohollyria* ex ♁ parari probatiſſima inde facilè concludere licet, quod & Experientiæ & Principum Medicorum authoritati indies reſpondeat, ceu ex probatiſſimis MICHAELIS, CRAANII, ETTMULLERI ſcriptis coram adſtruebam. Non minus erudita erant, quæ ſub Nili mentione de fluminum fontiumq; ortu ſentiebas, cujus rei fundum cùm in *Hiſtoriâ* nuper *Æthiopica*, tum in pretioſo, quem in eandem paras *Commentariô* ita quidem occupaſti, ut plura illic experiri temerè non auderem. Quoniam tamen argumentum hoc in communi vitâ haud omnino ſterile eſt, Tibique ea, quæ alternatim fortè ſermonibus Tuis immiſcebam, minimè diſplicere videbantur, non potui, quin hoc, quicquid eſt opellæ, jam ſuſciperem & quæ de fontium origine ante ſenſeram, Amplitudinis Tuæ judicio ea, quâ par eſt, modeſtiâ ſubmitterem.

Ne autem à fronte ſtatim actum agere & quæ ab aliis fusè expedita ſunt, tædiosè recoquere videar, neutiquam prolixus ero aut in recenſendis, aut & refutandis aliorum opinionibus, utplurimùm exoletis, cùm in tritis Phyſicorum libris nuſpiam non occurrant. Eorum ſaltem meminiſſe juvat, quæ noſtri ſeculi Philoſophi hôc in punctô ſentiunt, quorum pars originem fontium ſubmarinam, pars pluvialem adſtruunt, ita tamen, ut utrinque mare pro radicali fontium fluminumque fonte venditetur. Quæ ut plenius eluceſcant, operæ fortè pretium merebor, ſi duplicem aquæ marinæ circulationem, quam utrobique pro fundamento locant, hîc præmiſero, quarum altera evaporando per aerem, altera per interiora terræ viſcera tranſcolando contingere dicitur. Prior, quam diſtinctionis loco externam vocare liceat, à nemine, quod ſciam, in dubium vocatur, utut in fiendi modô quædam illîc diſcrepantia occurrat. Dum enim explicari debet, quâ ratione aqua marina in vapores redacta ſurſum evolet, aqua ſæpe hæret. Vulgus id merâ ſolis attractione fieri autumat, unde Plebejorum ætiologia: **Die Sonne zihe Waſſer;** haud aliter ac in Chymicis aquarum deſtillationibus alembico & in catarrhorum geneſi τῷ ἐγκεφάλῳ ſimilem attractionem vulgò tribuunt, quo jure, quave ratione, non apparet, niſi fortè Soli facultatem quandam attractivam affricare velint, quæ tamen neſcio an paulò plus dicat, quàm omnino nihil. Rectius id pulſione quadam atque motu perfici cenſerem, in quô omnis ſiderum influxus unicè radicatus eſt. Motus enim eſt, quô radii ſolares particulas corporum variè agitando calorem cient: Motus eſt, quô fluidas ſublunarium moleculas diſcontinuando in vapores agunt: Motus eſt, quô vapores à terræ ſuperficie in ſublime ferunt, adjuti à præponderantis atmoſphæræ preſſione; quæ omnia non tam attractione, quàm pulſione fieri, hodiè quidem nullus impunè negaturus eſt. Vapores ſcilicet ex aquâ marinâ jugiter ſurgentes & in mediâ (ut vulgò determinant) regione aeris in pluvias redacti, cùm in terram recidunt, fontes lacuſque temporarios uſque formant,

donec

donec declivi fluminum curſui obſequendo marique denuò reſtituti integram circuli externi peripheriam abſolvere valeant. Et hâc ratione ex ſacris haud difficulter conciliari poterit *Eccleſiaſtes cap. 1. §. 7.* qui huic aliâs ſententiæ incommodare videbatur, cùm, quòd primus ex Linguæ ſanctæ fonte obſervâras, non opus ſit, ut, quô refluunt flumina, hinc præcisè fluant, modò quâcunque ratione inde proveniant, ut Vulgata exprimit, quam exactè ſequitur Interpres Anglicus: All the rivers run into the ſea, yet the ſea is not full: *unto the place from vvhence the rivers come, thither they return again.* Cæterum licet in aprico ſit, non tantùm fontes quosdam, ſed & flumina ad tempus fluentia à pluviis vel nivibus diſſolutis exoriri poſſe, an tamen omnes, quod alibi aſſeritur, fontes, etiam perennes, imò inſanæ molis flumina inde conſtent, illud eſt, de quô meritô quis dubitare poſſet. Equidem non temerè negavero pecuaria illa aquarumvè receptacula, quæ P. KIRCHERUS, VOSSIUS & COLBERTUS hîc ad perennitatem fontium adducunt. Quod enim SENECA, PLINIUS & alii multis ante ſeculis tradiderunt, in ſubterraneis regionibus multam latere aquæ vim, rivos, ſtagna, lacus, id quotidianis experimentis tam clarum eſt, quàm quod clarisſimum; ut jam non opus ſit, quod Philippum Macedonum Regem feciſſe ex Asclepiodoro refert SENECA, conductos in imas terræ cavernas mittere homines, qui facibus laternisque multos dies progresſi magnos ſe amnes vaſtaque inveniſſe flumina renuncient. Hoc enim puteorum foſſores, hoc in latomias damnati & qui in Belgio vel Angliâ carbonibus eruendis ſtudent, experiuntur indies, qui in tantam ſæpè aquarum incidunt affluentiam (*afflo-ghemens* corruptè vocant) ut neque ad latera, neque in profundum progredi queant, ſæpèque undis inſano impetu per terebri nimium ſe exerentis hiatum erumpentibus, morte pœnas nimiæ vel avaritiæ vel curioſitatis luant. Ut jam Asclepiodoro facilè aſſurgam, qui ſubitò è terrâ ingentia proſiluiſſe flumina tradit, minusque fabuloſos judicem vel Platonem, qui in imis terræ Ocea-

num Tartareum, vel Poetas, qui Stygem, Cocytum, Phlegethonta confinxêrant. Nec porrò negavero hydrophylacia illa adeò arctos habere poſſe exitus, ut longiſſimô temporis tractu parum aquæ transeat, quó perennem fontibus materiam ſuggerere posſint. An verò lacus ſubterranei ex ſolis ſive pluviis, ſive nivibus colliquefactis illîc colligantur, hoc fortè non ſine causâ quis in dubium vocaret. Eâdem, ſi non majori, fide dici poſſet, Deum, cùm tertio creationis die unum in locum aquas ſecrevit terræque cavernis incluſit, ſimul in diverſas terræ partes per occúltos meatus & cuniculos magnam aquæ copiam è mari derivatam dispertiiſſe, ut adeòque maris potius, quàm pluviarum ſoboles ſit. Ponatur interim hydrophylacia hæc à pluviis oriri, nullius tamen experientiâ conſtat, omnium imprimis & perennium fontium ſcaturigines inde ſurgere; quin ex adverſô illi, qui ſcaturigines explorare ſtudent, infra easdem nonniſi ſabulum atque terram pumice ſicciorem adoriuntur, ut vel inde eluceſcat, in lacubus illis ſubterraneis haud multum patrocinii invenire eos, qui omnium indiſtinctè fontium originem pluviis adſcribunt. Accedit & hoc, quod plurimis in locis, ubi ſero pluit, multijugi ſcaturigine fluentes rivuli reperiantur, ſicut id è Societate Regiâ Londinenſi fusè probat ROBERTUS PLOT *Tentam. Phil. de Origine fontium*, qui Hiſtoriæ Tuæ Æthiopicæ honorificam prorſus mentionem facit.

Quibus ritè perpenſis ſupereſt, ut præter externam aquarum circulationem ſuperius expeditam & alteram admittamus, quam, cùm per intima terræ viſcera rotetur, internam ferè dixeris, non posſibilem modò, ſed omninò neceſſariam; de posſibilitate dubitare videbaris, Vir Ampliſſime, quùm aqua per fundum maris in centrum terræ delapsa contra leges gravitatis eousque adſcendere & ad terræ ſuperficiem, imò ſumma montium cacumina, deferri non posſit; fateor, res primò quidem intuitu ardua videtur & difficilis. Qui enim id ad vulgi captum terræ ſuctioni tribuunt, pumicem ferè ſugunt, cùm alma terra mater

quæ

quæ omnia nutrit, lactentium inſtar neutiquam ſuggillet. Sicut ergò ſanior Modernorum Philoſophia neſcit hîc ſuctiones, attractiones aliosq; motus animales, ita meritò repudiant opinionem illam Recentiores Phyſici, ROHAULT, Le GRAND, CLAUBERG aliique, cùm ſuctio requirat motum ſenſibilem in ſugente, quem in terrâ nemo obſervârit. Nec illorum ſententiæ facilè ſubſcripſero, qui maris ſuperficiem altiorem dicunt terrâ excelſisque montium cacuminibus, eaque propter radios aquæ marinæ per æquilibrium ad ſcaturigines propelli ſentiunt. Si enim ita foret, vereor ne perpetua mundi inundatio expectanda ſit; ut taceam flumina mare illabentia eô quidem modô adſcendere debere, quod abſurdum, cùm ob declivitatem deſcendendo eò devolvantur. Æquilibrium tamen aliquid conferre non negavero, cùm aquam ita elevari poſſe experimentis conſtet. Si enim faſciculus tubulorum fiat adeò arctorum, ut globulos aëreos excludant, aquam verò admittant, aquâ in illis ad quamlibet altitudinem infra 30. pedes adſcendet; imò ſi tubus arena impleatur, aqua per eandem adſcendet ultra ſuperficiem aquæ impellentis, cui tubulus imponitur. Quid ergò impedit, quò minus aqua marina per arenoſum terræ centrum aliquantulum adſcendere poſſit? interim & hîc uſque aqua hæret; licet enim illa in tubis gracilioribus altius adſcendat, ut elegantibus experimentis oſtendit FRANCISCUS BAYLE in *Diſſert. Phyſ.* & Doctiſſimus STURMIUS in *Collegiô Experimentali*, notum tamen eſt ex Mechanicis, aquam per ejuſmodi canaliculos ultra 30. pedes non adſcendere, ſicut id antliis oſtendunt BOYLE, COLBERTUS, DU HAMEL & alii. Quodſi ergò diſtantia Horizontis à centrô terræ altior ſit 30. pedibus, ut omnino eſt, aqua marina ſolo æquilibriô ad fontium radices vix deferri poterit; niſi fortè quis exiſtimet aquam ad 30. pedes elevatam per tranſverſum abire & hydrophylacia infra ſolum conſtituere: Jam autem æquilibrium aquæ in hiſce lacubus, ſi infra 30. pedes diſtent à ſuperficie terræ, radios aquoſos ad ſcaturiginem uſque fontium ſimili modô promovere poſſet, quò

(ex

(ex ſuâ licet hypotheſi) VOSSIUS abire videtur ; interim & hæc ob cauſas ſupradictas pro certis obtrudere nollem. Probabilior enim & minoribus quàm ulla alia difficultatibus obnoxia ſententia eſt eorum, qui aquam marinam terræ cavitatem ingreſſam ab ignibus ſubterraneis in vapores redigi eaque formâ ad terræ montiumque juga deferri cenſent. Pari nempe ratione res ſe habet in fontium exortu ac in deſtillatione aquarum Chymicâ. Sicut enim hîc particulæ aquoſæ in herbarum foliis vel floribus ſepultæ variô caloris motu in vapores agitantur & abhinc in ſuperiore alembici cavitate à frigore circumfluente in aquas condenſantur : Ita haud abſimili modô aqua marina terræ cavum ingreſſa & ab ignibus ſubterraneis in vapores elevata haud procul à terræ ſuperficie in limpidam reſolvitur, unde fontium origo, perennitas, claritas & alia clarè & diſtinctè explicari poſſunt.

Verùm duo hic in dubiô locari poſſent, partim quod ignes ſubterranei gratis aſſerantur, partim quòd vapores terræ poris elabentes facilè tenues evaneſcant in auras & ita vix apti nati ſint, qui fontibus in pabulum cedant. Aſt ſalva res eſt utrobique. Utut enim ita crudè non ſubſcribam hypotheſi DN. des CARTES, terram eſſe corticem igne repletam, nec ignem illum apertè flammantem eſſe contendam, quem abſque aperto aëre vix ullibi videre licet, ſufficit tamen cœcus & in cineribus quaſi micans, adſpirante poſtmodum aëre facilè lucidam in flammam abiens, ut ex Montibus Siciliæ Ignivomis atque flammis ſub terræ motu erumpentibus ad oculum apparet. Et unde quæſo calor intenſiſſimus, quem in infimâ terræ regione experimentis adſtruit Illuſtris BOYLE *Tr. de Temperie regionum ſubterranearum ?* unde fumi & vapores ex inferioribus toto die adſcendentes, qui tanquam effectus arguunt de ſuâ causâ. Quod verò alterum concernit, negari quidem nequit, multam imò fortè majorem vaporum portionem in atmoſphæram exſpirare atque generandis pluviis nutrimentum commodare, unde & vapores in ſupremis montium cacuminibus comparentes certum imminentis pluviæ

ſunt

ſunt indicium, ut in monte Dyni nobis (vulgò Dynsberg) id curatè notant conterranei; interim haud paucis in locis repagulum offendunt, quod impedit, quò minus extimam terræ cruſtam perrumpant, ſed in fontium ſcaturigines fatiſcant. Quodnam verè illud ſit, quærat curioſus veritatis indagator? ſolum terræ frigus, cui munus hoc olim tribuebant, rem neutiquam conficere inde colligas, quòd in eodem climate non ubique reperiantur fontium ſcaturigines, utut æqualiter frigus diſpenſatum ſit. Unde concludere licet, non omne ſolum aptum eſſe ad excipiendos & coagulandos illos vapores, ſed aliud adhuc requiri medium, quod feliciſſimè detexit Inclytus BECCHERUS, Vir meliori fato dignus, qui ut multum antehac ſtudio hydraulico variisque aquarum ductibus inquirendis ſtuduit, ita in omnibus fontium ſcaturiginibus invenit lutum aliquod coloris ſubcœrulei, quô præſente fluxit, abſente verò ſub vaporum formâ evanuit ſcaturigo; unde generale hauſit axioma, nullam ſcaturiginem ſine tali lutô reperiri, quod ipſe fomitem, alii verò magnetem aquæ vocant; & licet nonnullæ ſcaturigines è duriſſimis montibus, & ſaxis profluant, attamen ſi profundius in eas inquiratur, lutum hocce nunquam emanebit. Enimverò quædam hujus rudera lego in HELMONTIO, qui Tract. *de Font. Spadan.* ſimile quid ſub obſcurô nomine *quellem* indigitare videtur; qui tamen lutum illud propriâ fide & periculô clarius aperuerit, præter citatum modò BECCHERUM novi nullum. Occaſio, quâ in ejus primò notitiam devenit, ſe Moguntiæ olim truſit, quàm ſi tribus adhuc verbis explicem, haud iniquè feres. Scilicet honoris ergò inviſebat aliquando Monachos, qui Carthuſiam haud procul à Moguntiâ, ad alteram Rheni ripam, in monte S. Michaelis ſitam incolunt. Cùm autem quererentur ſe omni ferè aquâ fontanâ in cœnobiô deſtitutos eſſe, niſi quam labore admodum moleſtô ex profundô puteô exantlarent, ipſe BECCHERUS accuratius in montis ſcaturigines inquirendo, certis ſuffultus indiciis ſtipulari cœpit, ſe ſcaturiginem Horizonti Carthuſiæ æqui-

librantem inventurum, indeque limpidam in Monaſterii culinas perpetuò ſalientem deducturum eſſe. Quod ut effectui daret, rutrô ſuperficialem terræ cruſtam removendo quinque circiter pedes infra Horizontem incidit in lutum ſubcœruleum, quô apparente illicò ſcaturigo transſudare videbatur: ſed cùm ſperaret eandem, ſi profundius ageret, confertiorem eſſe fluxuram eumque in finem lutum illud prorſus effoderet, incidit in arenam adeò effœtam, ut è pumice citius aquam expectaret, quàm aliquam inde ſcaturiginem ſperaret. In omnes igitur rei circumſtantias curatius inquirens, ſummô ſæpè mane locum adiit totamque foveam nube quaſi tectam offendit, quô ipsô animus redire cœpit, cùm facilè ſubodorari potuerit, vapores ob luti defectum non tam condenſari, quàm omninò evaneſcere. Quod ut impediret lutum illud foveæ reſtituit & fiſtucâ nonnihil ſolidari curavit: Altero mane rediens ſuam ante ſcaturiginem ſummâ cùm admiratione reſalire vidit, indeque certò concludebat, vapores ſubterraneos non tam frigore, quàm magnete illô condenſari, ſicut fuſius proſequitur Vir Expertisſimus in pretiosâ ſuâ *Phyſicâ ſubterraneâ Lib. I. Sect. 2. Cap. 3. pag. 86. & ſeqq.* Ne autem ſolâ BECCHERI fide militem, non poſſum non è Domeſticis Noſtris celeberrimi TACKII nomen interponere, qui *pag. 39. Eucrenes Philoſoph.* ſi non eadem, certè disſimilia docet, ut è verbis ejus Vernaculâ expresſis jamjam apparebit: Allein ich will dieſes nur melden / daß man wohl keinen geſunden oder ſonſt rechtſchaffenen lebendigen Brunnen finden werde / es ſey denn ein Thon unter oder umb den Brunnen; Dieſer Thon iſt nun Magnetiſcher Krafft / und ziehet immer Dunſt und Lufft zu ſich / und ſo lang die Magnetziehung währet / ſo lang währet auch der Brunn. *Alibi:* Es iſt dergleichen noch bekandt / daß durch unvorſichtige Wegraumung des Lettes unterſchiedene Brunnen vergangen / weil man alſo des Brunnen Magneten verrücket. Wer es nun nicht glauben will / der kan es verſuchen / er wird die Wahrheit finden. Utut autem ea, quæ de magnetismo hujus

luti

luti proponuntur, cautè & cum granô ſalis decoquenda ſint, inde tamen fluit lutum illud verum eſſe receptaculum atque fomitem, quô vapores ſubtus exhalantes concentrari & in aquam fatiſcendo fontium exortus promoveri poſſit. Et hæc, Vir Illuſtris, cauſa eſt, quod, ut coram adſtruebam, ægrè me divelli patiar à receptâ de ſubmarinâ fontium origine ſententiâ, eoque minus, quod non ſolus ego, ſed & alii hoc in lutô hæreant. Nec ISAACI VOSSII argumenta, quæ præ aliis urgere videbantur, tam ponderoſa ſunt, ut humeros illis ſubtrahamus. Licet enim facilè conceſſerim *totidem, quotquot unquam labuntur flumina, ſatis manifeſtè ad legem & menſuram pluviarum aut redundare aut deficere, adeò quidem, ut complures alvei ceſſantibus pluviis ſiccentur*, temerè tamen quis inferret, omnes eapropter fontes atque flumina à pluviis adæquatè generari. Nec enim omne, quod abundantiam alicui vel defectum adferre ſolet, vera ejus cauſa eſt, cùm unius rei plures ſæpè cauſæ ſint. Neque tritum illud: ***Poſita cauſa, ponitur effectus*** ultra eſſe relatum, ut Scholæ cavent, extendi debet. Ne ergò plura illîc concludantur, quàm fuerunt in præmiſſis, id tantùm ſequi videtur, quòd poſitis imbribus & ponatur, remotis verò tollatur fontium redundantia, non pariter omnis illorum ortus atque generatio. Quod verò *plures in montibus, quàm in locis planis inveniantur fontes*, ratio eſt, non quòd *longè major imbrium copia in montes, quàm in planum cadat*, ſed quod lutum illud fontibus matricem præbens, frequentius ſit in apice, quàm radice montium, atteſtante BECCHERO *l. c. pag.* 68, Ut taceam Anglum ſupra citatum ROBERTUM PLOT experimentis & hiſtoriis haud vulgaribus inſtructum eſſe, quibus & in planô alicubi copioſos ſalire fontes approbat, iis quidem in locis, ubi ſerò aut nunquam pluere ſolet. Tandem *fontes illi, qui ſtatis ſaltem temporibus & per intervalla fluunt, ſumptisque incrementis intumeſcunt*, æquè facilè explicari poſſunt, ſi originem fontium ſubterraneam defendamus, ac ſi illos à pluviis & lacubus inde collectis oriri dicas. Neque enim opus eſt, ut id cum Seneca pro

occultô Naturæ miraculó habeamus, cùm & in hâc noſtrâ hypotheſi locum habeant ſuetæ motûs leges, idque pro diverſitate tubulorum, per quos adſcendunt ſcaturigines, inprimis, ſi fomes illarum altiores in terrâ radices agat. Pro variô nempe ſitu & texturâ tubulorum variat motus ſcaturiginum, quæ regurgitando ſubinde vicisſitudines illas experiuntur, ut quidem eruditè ſatis ex hydraulicis demonſtrat idem VOSSIUS *De Nili & aliorum fontium origine pag. 15.* Potuiſſem hîc ſubſiſtere & antiquum obtine de fontium ortu ſubmarinô, quùm ea, quæ ante pro ſententiâ hâc attuleram, haud inania ſint, aliorum verò dubia illi parum, vel omninò non incommodent. Intereà tamen, ne ſoli mihi ſapere aliorumque conjecturis datâ operâ obluctari videar, dicam quod res eſt & quod animus ab omni præjudicio liberatus facilè conceſſerit. Sicut enim is, qui benè diſtinguit, benè docet, ita ſolâ fortè diſtinctione inter fontes labiles atque ſtabiles, temporarios & perennes negotium hoc facilè componi poſſet; quò quidem abire videtur DN. de SAINT - ROMAIN in *Phyſ. Scholaſticis tricis liberata pag.* 268. Eò igitur res recidit, ut perennes fontium ſcaturigines à vaporibus ſubterraneis, temporarios verò à pluviis utplurimùm provenire ſtatuamus: quam quidem deciſionem ut ſalvis aliorum punctis hic publicè profiteor, ita nullus dubio, Te, Patrone obſervande, eandem ut probabilem ad minimum admiſſurum eſſe. Nec dicam mihi ſcribes, quod hæc ipſa in trito olim Peripato neutiquam obtinuerint, cum evanidam aeris in aquam transmutationem ipſemet exploſeris in æſtimatisſimo Tuo *Commentario*, quem impatienti deſiderio præſtolantur Eruditi. Ea quippe eſt animi Tui generoſitas, ut nuspiam Te immiſceri patiaris iis, qui vulgaribus unicè adhærendo Recentiorum meditationes, quaſi nullæ eſſent, inſuper habent, ſilentio prætereunt & ne examinare quidem affectant. Tantum enim abeſt, ut cujuspiam exiſtimationi hoc quid detrahat, ut judicio *Eruditorum Lipſienſium A. 1687. Menſ. Sept. pag. 527.* veteri Philoſophiæ major potius æſtimatio accederet,

deret, ſi non ſolùm congreſſum cum adverſariis audere,ſed & ſuſtinere poſſe increbeſceret. Quod ipſum ut ſanæ rationi conſentaneum eſt, ita majori nunc libertate ea, quæ de ancipiti hâc gravique materiâ conceperam Tuæ, Domine, dexteritati & epicriſi committo, quâ me neutiquam fruſtraberis, ita confido. *Vale!* Scrib. *Giſſæ è Muséo d. 23. Julii Anno* 1683.

DISSERTAT. EPISTOL. IIX.

DE

MOXA atque PODAGRA,

Ad

D. ANDREAM CLEYERUM, Bataviæ Novæ Conſulem & Ind. Orient. Proto-Medicum.

P. P.

MIraberis, Vir Experientiſſime, quod neque facie, nec unquam nomine fortè viſus miſſis Tibi literis comparere meaque ſcriptione in mediam uſque Indiam excurrere modò auſim. At verò dabis id ſummo, quô Celeberrimo Tuo Nomini innoteſcendi flagrô deſiderio, de cujus humanitate æquè ac candore jamdudum me certiorem reddidit Amiciſſimus quondam Vir, DN. SEBASTIANUS SCHEFFERUS, non ſine magno Reipublicæ literariæ diſpendiô febri nuper malignâ per contagium hauſtâ ſublatus, quod vel ingratiis Excellentiam Tuam celare nequeo. Sic *inſerviendo aliis ipſimet conſumimur*, quæ ferè ultima ſunt, queîs agonizante modò labrô nobis

valedix't pectus candidiſſimum, heu! magna quondam vitæ meæ portio. Dicere non expedit, V. E. quàm acerbô me dolore cruciârint præmatura beatiſſimi Viri fata, qui ut diffuſiſſimo, quô gaudebat admodùm, ſcribendi commerciô penes Eruditos quoſvis Europæ Medicos facilem ſæpe atque liberum nobis acceſſum parare, ita quæ undique advolabant, literas in ſinceræ amicitiæ teſſeram vel ultrò ſæpe concedere non dubitabat, quas inter illæ cumprimis, quas à Magnificâ Tua Excellentiâ diverſis jam vicibus exceperat *Epiſtolæ,* rariori non minus literaturâ, quàm rerum naturalium ſupellectili refertiſſimæ ſumma Nos utrobique delectatione refecêre. Curioſa certè ſunt, quæ de infallibili Javanorum lithontripticô, *fructu* ſcilicet *Ananas*, (in ambulacrô Horti Academici Lugdunenſis conſpicuô) refers V. C. qui an balſamicas terebinthinæ vires habeat, an verò ſpecificâ fortè partium texturâ calculum infringat, ſcire multùm expediret. Curioſa non minus ſunt, quæ illîc æque ac in publicum edito *ſpecimine Medicinæ Sinicæ* de myſticâ *Chinarum doctrina circa pulſus* profiteris, ad cujus aditum nobis *clavem* haud ita pridem ſuppeditavit R. P. MICHAEL BOYMIUS S. I. quam, ut *Miſcellaneis Germ. Curioſis Dec. II. Anno 4.* eſt adjuncta, officiosè inſimul offero. Quæ ſi ita ſint, ipſe profectò Galenus huic Nationi palmam concederet, in hâc quidem doctrinâ, ſi quis alius, operoſus. Ut verò dicam quod res eſt, paucos eadem in Europâ uſque Patronos reperit, cum circulationi ſanguinis (jam à 200. annis Indis cognitæ) quadantenus refragari videatur, niſi ſanior poſthâc explicatio ſequatur, quam ab Excellentiâ Tuâ impatienti prorſus expectatione ante deſiderant omnes Eruditi, quàm ex Europâ prorſus expellatur hic Chinarum pulsùs. Vereor enim ne ſimile eundem fatum maneat ac famoſam nuperrimè *Moxam*, novum podagricorum ſolamen, quæ ut ſummis ab exortu laudibus eſt evecta, ita nunc quidem in Europâ prorſus ſilet. Ni grave fuerit, V. E totam ejus hiſtoriam jam animi gratiâ recenſebo, ut quam varii ſint rerum mundanarum caſus, mecum admireris.

Primus,

Primus, quantùm ſcitur, qui Germanis illam obtulit, eſt HERMANNUS BUSCHOOF, Indiæ quondam Orientalis Paſtor, qui plusquam Theologicâ gravitate miris eandem encomiis extulit, ipſamque operationem inſimul Vernaculâ ſibi Belgicâ peculiari libro deſcripſit. Pervenerat hic fortè fortuitò ad Per-Illuſtrem Dn. Ericum Mauritium, ſummi, quod Spiræ eſt, judicii Cæſarei Aſſeſſorem Graviſſimum, qui literis ad B. D. Schefferum datis S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum id detulit, ut ex *Miſcellan. German. Curioſis Dec. I. Ann. VI. Obſ. 218.* videre eſt; quibus Inclytus ELSHOLZIUS paulò poſt libelli ſupradicti ſummaria ſubjungit *Obſ. 22. c. l.* Abhinc *Diſputatione*, quod dicunt *Graduali* Marburgi Cattorum idem argumentum ex profeſsô expedivit Feliciſſimi quondam Practici D. GEILFUSII filius, nunc Archiater Naſſoicus & in Friſiâ Orientali Profeſſor Publicus, ſicut & alii porrò ejus meminêre. Vix autem viſum erat Europæis Eridos hocce pomum & duæ ſtatim controverſiæ inde gliſcere cœperunt, an nimirum Moxa hæc Veteribus cognita & cujus illa ſit naturæ, an artificialis, an verò naturalis? Quod priorem attinet, ſunt qui jam HIPPOCRATIS ævô remedium hoc minus inſolitum fuiſſe adſtruunt, idque *ex Tit. 12. C. 130. l. de affect.* ubi quidem, ſi in unum, ut loquitur, locum incubuerit dolor, τῷ ὠμολίνῳ, „ id eſt, linô adurere jubet, eoque non crudô, ſed ut MARTIANUS commentatur, præparatô, cum moxâ ferè conſpirante. Alii negativam amant & hæc in merum COI favorem ferè gratis afferi teſtantur, ſicut ex aliis ejus locis id apparet. Cæterùm meo quidem judiciô res facilè componi poſſet, ſi cum Generoſo DN. J. D. MAJORE *Diſp. de Podagrâ* diſtinguas inter uſtionem ipſam & urendi modum: Illam Veteribus omninò cognitam eſſe non negavero, quod pluribus rationibus adſtruit Magnif. D. FRANCUS Rector p. t. Academ. Palatinæ *Miſcell. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Anno 1. Obſ. 27.* Modum interim Indis uſitatum & omnino novum Antiquos latuiſſe plauſibilius eſt.

Quod

Quod verò II. eſſentiam hujus moxæ concernit, primò quidem naturale quid è fungorum numerô putabatur eſſe, quod apertè profitetur jam ſupra citatus Geilfuſius. Verum & hîc rem aliter ſe habere Recentiorum tandem induſtria detexit. Fuêre quippe, qui portionem ejus è Belgio ſuſceptam armatô oculô ſcrutantes, quædam artemiſiæ latifoliæ haud diſſimilia iſtîc obſervârunt, unde moxam mox ex artemiſiâ parari ſuſpicati ſunt, cùm planta hæc ex illarum quoque numerô ſit, quæ teneram intus lanuginem in ſinu fovent. Quid quod ipſe Buſchofius id tacitè ferè innuat, dum herbam ejus *herbarum matrem* vocat, quod apud DODONÆUM, LOBELIUM & alios artemiſiæ eſt epitheton. Factum inde eſt, ut Inclyto WEDELIO ſubnata ſint cogitata, annon & *Moxa* inde *Germanica* parari poſſet, quæ Indicæ partes ageret & parili forte uſui ſerviret, de quâ vid. *Miſcellan. Germ. Curioſ. Dec. II. Ann. I. Obſ. VI.* Manebat interim in dubió, an cum Sinenſium moxâ res ita ſeſe habeat, donec omnis hujus rei ab Excell. Tua literis tandem certior redderetur Beatiſſimus Schefferus, quarum epitomen habent eadem *Miſcellanea Dec. II. Ann. IV.* unde præparatio pariter genuina addiſci poterit. Decæteró ut plerunque minuit præſentia famam, ita cognitô demum myſterió evileſcere cœpit tanti ante æſtimata pluresque in uſus adhibita Moxa, ut mira (modò vera) ſint, quæ citatus ſæpè Buſchoofius de Maniâ, Epilepſiâ & imprimis Podagra radicitus ſublatâ refert. Quin & hunc in finem hinc inde per Germaniam aliquot hujus rei experimenta facta ſunt, ſed impari ferè ſucceſſu. Modus autem adhibendi fuſius à Buſchoofio traditus cautelis ſanè indiget, ſecus enim moxa non uret ſine noxâ. Quàm infauſto enim exitu in Perſonis alicubi Illaſtribus exarſerit hoc cauterium, juxta Patrui ſui JOH. DANIELIS communicationem refert GREGORIUS HORSTIUS *Diſp. Grad. de Maniâ.* Parili nempe jure hîc agendum ac cum aliis actuali, ut loquuntur, flammâ inurendis cauteriis, de quorum œconomiâ legitimaque adminiſtratione ſpecialis exſtat *commentarius*

HIERON.


A
B
C
D
E

HIERON. CAPIVACCII *Epiſt. & Conſiliis* à SCHOLZIO collectis adjectus. Nec omnes hic HELMONTII ſarcaſmi ſunt de nihilo. Nimirùm eò tandem totum recidit negotium, ut ſubjectis magis ſeroſis atque doloribus articulorum frigidis, vulgò ita dictis (in der kalten Gicht) ut & tumoribus œdematoſis mage conveniat, præmiſſis tamen præmittendis, quô excuſsô poris ſerô pars △ roboretur, fibræque antè juſtô flaccidiores quaſi rigeant. Ubi contra vel minima inflammationis facies adfuerit, cautô ſane opus eſt, ne gangrænæ tandem aut ſphaceli periculum accedat.

Ultimò quæſitum eſt, annon in tantâ moxæ caritate quædam fortè ſuccedanea dentur intentioni huic & uſui æquè ſufficientia? quid verò ni? nullam enim cauſam video, quò minus & alia pariter cauteriorum genera, tam actualia, quàm potentialia huic ſubſtitui poſſint. Novi ſanè Theologum magni nominis, qui ſummam, quâ per vices affligitur, podagræ carnificinam cantharidibus brevî ſublevare novit, quarum multam inde portionem domi alit. Nec deſunt, qui fungos, lanugines verbaſci, taraxaci &c. idem præſtare aſſerunt. Alii telas aranearum, medullam ſambuci &c. ſubſtituunt, de quibus *Miſcellan. Germ. Curioſa, locô ſupra citatô.* Novit pariter Archiatrum quendam Palatinum DN. FRANCUS, qui funis bombardarii raſuram (geſchabte Lunten) hunc in finem adhibet; quæ omnia eôdem, quo Moxa adhibetur, modo applicari poſſunt, ita ut in affectibus capitis inſtar coronæ caput cingant, (vid. *Tab. VI. Lit. A.*) in doloribus iſchiadicis autem & arthriticis artubus, manibus ſc. in E. pedibus in D. & genubus in B. apponi & mediante baculô aromaticô C. accendi debeant.

Cæterùm quæcunque tandem ſint, ſive peregrina, ſive domeſtica, quæ pro ſublevandâ podagrâ inuruntur, tantiſper quidem hunc dolorem palliant, quatenus vel archeo terrorem incutere, vel lymphæ corroſivæ portionem exantlare apta nata ſunt; an verò radicalis affectus deturbatio ita obtineri poſſit, valde dubito.

Manet enim intus ſcaturigo & in viſceribus oberrans cauſa, quam qui cognoſcere poterit, næ feliciſſimus erit in ejuſdem curâ. Acidum hîc nervis inimiciſſimum inculpat unanimis Recentiorum deciſio, HELMONTII puta, TACHENII, SYDENHAMII &c. ſed quanta quæſo acidorum latitudo eſt ſpecifica? in cujus determinatione & exercitatiſſimis ſæpè aqua hæret. Unde multis non ſatisfacit generalis hæc acidi incuſatio, quod in genere utique peccare non negavero. Probant id juvantia & nocentia, probant & antecedentia cauſæque occaſionales, quas inter crebrior vini, acidô plus minus acri volatili abundantis ingurgitatio carniumque apertô igne aſſatarum eſus notoriè nocent; quæ unica ferè cauſa eſt, quòd in divitum culinis magis elixetur podagra. Unde procul dubiô vulgi nata eſt ſuſpicio, frequentem Gallinarum eſum ad arthritidem diſponere: Quod certè non penitus de nihilô eſt, ſiquidem apertô igne exaſſentur & ita Stygiô quaſi flammæ acidô imprægnentur, quô flammam abundare in modum eò facilius credo TACHENIO, quòd noverim enchireſin, quâ flamma concentrata, non ſecus ac ſulphur ſub campanâ deflagratum, in ſpiritum aquæ forti non cedentem abeat. Quid quod mulierncularum ope id conſtare poſſit, quæ raphanum ruſticanum (in Auſtriâ & Bohemiâ frequentiſſimum) radiculâ comminuentes ad apertam ſe flammam collocant, ne oculis incommodet. Hâc enim ratione effluvia flammæ acida ſali raphani volatili occurrendo ſe mutuò arripiunt & in ſalſum tertium abeundo ſuâ utrobique energiâ privantur. Neque ridenda ſunt experimenta hæc in culinis & ad focum nata, cum ſæpius olitor ſit opportuna locutus. Ego verò ne patientiâ Tuâ, Vir ampliſſime, turpiter abuti, noctuasque, quod dicitur, Athenas detuliſſe videar, in his enarrandis ſubſiſto, quæ eum tantum in finem ὡς ἐν παρόδῳ expedire volui, ut & animum meum honoris Tui cupidiſſimum explicarem & quæ de novô hoc Indorum cauteriô hactenus in Europâ ſe truſerint, Excellentiam Tuam certiorem redderem. Quodſi forte circa præparationem ejus aut adhibitionem ceſpitatum fuerit, nec

omnes

omnes Chinenſium enchireſes innotuerint, ulteriorem hâc in parte informationem obnixè rogitarem, quâ tum univerſam Naturæ Curioſorum Academiam, tum in ſpecie Venerandum noſtrum Præſidem Dn. D. FEHRIUM multùm obſtringes, qui juxta Celeberrimum VOLCKAMERUM, me jam Interprete, Excell. Tuæ ſalutem impertit humaniſſimam, quam & nomine conterraneorum Tuorum, Conſultiſſimi Witſtenii Sereniſſ. Principis Waldeccenſis Cancellarii Magnifici: Feliciſſimi Dn. Schleirmacheri, Archiatri Haſſo-Darmſtatini & Per-Reverendi Dn. Wahlii ſimul officiosè offero. Quodſi demum gratiam penes Excellentiam Tuam invenerint ea, quæ in forô cumprimis Medicô poſthâc dederint Europæi noſtri, commodâ annuatim occaſione per communem nobis Amicum, Dn. Nicolaum Dumbsdorfium, Civem Amſtelodamenſem & Pharmacopœum nulli ſecundum, certam ſemper copiam facturus ſum, qui, ut ſtipulata manu adſtruit, commercii noſtri literarii ſincerum, ut hactenus, Patronum aget.

Vale, Vir Celeberrime & eundem, quem hactenus favorem Germanis Tuis concedis, indulgere perge, qui pro uberiori (cujus & medios inter Barbaros potitus es abunde) Familiæ Tuæ ſplendore atque felicitate mille Deo T. O. M. ſuſpiria perſolvere nunquam deſinent. *Vale* terque quaterque *Dab. Amſtelredami die 28. Maji, Anno 1686.*

 DISSER-

DISSERTAT. EPISTOL. IX.
DE
NOVA MATRICIS & MORBONÆ MULIEBRIS ANATOME.
Ad
D. JOH. DANIELEM VVIDTIUM, Archiatr. Elect. Mogunt. &c.

VIR EXPERIENTISSIME.

Biennium jam diffluit, quòd, cùm ad dulces Nemetum fines Medicinam faciens Spiram fortè ſalutarem, Tibi primùm innoteſcendi anſa mihi data fuit. Queîs tunc honoribus me proſecutus ſis, quàm lautè me peregrinum exceperis & quam benevolè mecum egeris, hîc fortè dicendi locus eſſet: Verùm ita comparata ſunt Tua in me merita, ut ſive mente ſive calamô concipi facilè nequeant, nec aliud unquam potero, quàm tacitâ ſubinde & gratâ meditatione Benevolentiæ Tuæ admirari magnitudinem. Hâc equidem obſtetricante factum, ut Cæſareas inter copias, quæ ſub Regimine Illuſtriſſimi Comitis & Generalis, Dn. de Staremberg fatale multis Philipsburgum in præſidio tenent, honorifico Medici Caſtrenſis munere aliquantiſper functus, Praxin Medicam cordatius ordiri meaſque inibi vires feliciter experiri valuerim. Poſtquam enim Generoſus admodum & PerStrenuus Turmarum Palatinarum Dux Dn. Junghen, eò enitendi calcar mihi & animum addiderat, Tuamque Excellentiam de me meiſque

meiſque ſtudiis certiorem fecerat, Deûm atque hominum fidem! quàm facilis eras & quàm pronus petitis noſtris aſſurgendo, donec tandem acciderit, ut omnium votorum ſim particeps factus. Ut jam non dicam de venerabili Tuâ, quâ me ſæpè dignabâre, conſuetudine & feliciſſimis in Praxi conſiliis, queîs quidem ab eô, quô vitæ bellicæ valedixi, tempore ægrè caruiſſe mihi viſus ſum; mox tamen novam mihi ſpem fecit Celebratiſſima Germanorum Societas Curioſa, poſtquam Tuam quoque Excellentiam in partes ſuas exoravit: Fiet enim ita, ut quas olim coram, poſthâc in Eorum *annalibus* legam obſervationes & mecum omnes, quibus hæc talia ſunt in pretiô. Dictu enim facile non eſt, quot indies acceſſiones fiant Arti noſtræ Medicæ curioſis his relationibus, quæ non omnis modò generis experimenta ferunt, ſed & exquiſitiſſima quævis de optimis Scriptoribus judicia, quæ tertiam eruditionis partem facilè abſolvere haud abſurdè credit Nobilis *itinerarii Germaniæ Politici* Auctor; ut vel hôc nomine magni facienda ſint tot hactenus inſtituta Collegia & Societates Curioſæ, dummodò ſuetum ſemper ſibi tramitem ire pergant. At verò quod citò fit, citò ſæpè perit. Gallus certè ſub primô, quô cœperat, impetu quadam quaſi ephemerâ correptus *ephemerides* ſuas cantare fermè deſierat, poſtquam in Chriſtianiſſimi ſui Regis Bibliothecam ſe abſconderat, donec tandem recollectis paulatim viribus ad ſueta redierit *Diaria*, quæ ut olim factum, Latio propediem tradet Interpres Erudito orbi notiſſimus. Itali tacuêre dudum. Angli angulos quærunt & latibula, ſi quid curioſi amplius invenerint, contenti ſatis ſapientiâ ſuâ unicam ſaturare inſulam. Optandum verò unicè, ne de laudatiſſimis illorum *Tranſactionibus* actum eſſe tandem increbeſcat. Cæterùm ſola Germanorum conſtantia eruditam curioſitatem nondum exuit, ſed indies ſua admiratur incrementa, id quod non tantum Lipſienſes ſuo nuper comprobârunt inſtitutô, ſed & alia fortè jamdum ſub cinere gliſcunt in apertam mox eruptura flammam. Erit enim, erit, ut generoſa Haſſorum indoles evigilet & pari fortè intentione conſpiret in

unisonum. Quin vel noſtra Gieſſa huic operi ſat eſſet ſufficiens, cui dudum operam ſuam & ſtudium obtulit curioſæ & profundæ eruditionis Vir, DN. FRIDERICUS NITSCH, in *Præfat. Edit. 2. Ephemerid. Erud.* Nec πολυμαθέστατον noſtrum CLODIUM aliosque Viros doctisſimos ab hâc ſententiâ multum alienos eſſe, aliunde conſtat.

Verum transeant hæc, ne fortè iis, quos piô potius ſilentiô venerari mallem, ſive vota, ſive conſilia dediſſe videar; neque enim hic ſchedæ meæ ſcopus eſt, ſed ut meam erga Benevolentiam Tuam pietatem ſpisſius atteſtari liceat. Ab eô enim, quô Patriam meam repetii momentô, quæſivi ſæpe, quemadmodum illam, quam toties mihi comprobaſti gratiam quodam officii genere rependerem, donec commodam tandem occaſionem mihi ſuggeſſerit nupera, quæ heîc adminiſtrata fuit, anatome. Cùm enim adhuc conſtet, quàm curioſus ſemper harum rerum fueris, haud ingratum fore ſperavi, ſi jam ea, quæ vel nova vel inſolita ibidem annotaveram, candidè referrem, measque circa eadem meditationes edecumato E. T. judicio committerem. Ita enim accidit, ut puella 18. circiter annos habens perpetratum à ſe infanticidium capite lueret, corpus verò ejus juſſu & clementiâ Sereniſſimæ noſtræ Principis ELISABETEHÆ DOROTHEÆ, Haſſiæ Landgraviæ &c. &c. Sceptra Principalia Tutoriô jam nomine tenentis, Facultati Medicæ in ſacrificium ceſſerit. Subjectum ruri natum erat, ob copioſam tamen, quâ diffluebat, pinguedinem mollicellum & quod rarum in ruſticorum familiâ, tantâ teneritate conſpicuum, ut plurimis ſuburbanis, quæ ſuis placituræ Meliboeis nullas non artes experiuntur, palmam facilè dubiam reddidiſſet. Quin & omnia ejus membra tam eleganti proportione colludebant, ut inibi ferè nihil deſideraſſes, niſi quòd partus juſtô fortè difficilior thoracis & coſtarum peripheriam immane quantum diſtenderit, cujus rei veſtigia vel in ſceletô adhucdum apparent. In ipsâ verò ſectione etſi fortè plura ſive demonſtrata, ſive obſervata fuerint, notatu tamen & digniora & ſcitu

ſcitu magis neceſſaria videbantur ea, quæ ſub illarum partium inquiſitione occurrebant, quæ mulieribus & ſexus & ſexcentarum moleſtiarum auctores ſemper ſunt.

Factis enim variis circa famoſum nuper, nunc tamen in dubium rurſus tractum Recentiorum *ovarium*, *tubæ Fallopianæ ductum* ejusque *expanſionem*, ut GRÆFFIO audit, *foliaceam* aliaque experimentis & evaginatâ jam *vaginæ* ſtructurâ, demonſtravi primum iis, qui tum à latere fortè ſtabant, Philiatris ſcitu viſuque dignam prorſus *urethræ inſertionem*, quæ ſub unâ *caruncularum myrtiformium* extus erumpebat. Hinc ſui fortè immemor erat Inclytus SYLVIUS, cùm illum urethræ exitum ſub *alis* ſeu *Nymphis* eſſe ſcriberet. Enimverò ſi caſus ſæpè deſperatus catheteris urgeret uſum & adſtans fortè Medicus oſculum ductus urinarii ſub alis quæreret, omnium, etiam infimæ ſortis Chirurgorum, riſui ſe exponeret. Aut ergò quandoque bonus dormit Homerus, aut non planè de nihilo eorum eſt opinio, qui multam *Praxeos Sylvianæ* partem diſcipulorum fœturam eſſe credunt. Hujus jam certior redditus ipſam uteri *vaginam* ſcalpello leviter vulnero & ecce mirando prorſus ſchemate erumpunt conglomerationes plurimæ botriformes, ex indefinitis ovalis figuræ *glandulis* conſtantes & ad levem quemvis contactum neſcio quid liquoris ſpumoſi albicantis fundentes. Mirabar primùm inſolitam rei apparentiam eoque magis, quòd & ii, qui ex hôc muſtaceô (jure quidem meritò) laureolam dudum obtinent, ejus rei vel nunquam vel parcè ſatis meminerint. Diducto hinc paulatim vaginæ ductu, ſuperficies interna racemis illis glanduloſis tota obſita erat, altius tamen in utroque latere protuberantibus ſuique veſtigia ad externum usque orificium ſequentibus, donec maritentur ſupra modò tactis carunculis, quæ fortè nihil aliud ſunt, quàm glandularum harum productiones, eodem cum illis officio fungentes. Id tamen notari velim, majores longè apparituras eſſe hasce glandulas, ſi vagina ſitui ſuo naturali relinquatur; aliâs enim ſi violenter fortè diſtendatur, obliterantur ferè & quasdam

quaſi

quaſi rugas formant; quæ fortè cauſa eſt, quod aliorum obſervationem hactenus ſubterfugerint. Deinde in brutis, canibus cumprimis & felibus hunc in finem aciem Anatomicam expertis, proportione minores inveni, quam in homine; huic tamen incommodo aquá fervente facilè obviam ire poteris, ad modum VVILLISII, PECHLINI, BAYLEI aliorumque, ita enim intumeſcentes oppidô majores apparere ſolent. Erat hæc *glandularum vaginalium* facies & ſtructura, de quâ usquedum altum ſilent Anatomici. At verò quid nudus juvat aſpectus, ſi non diſcatur & uſus? non ſcindentis, ſed mentis acies eſt, quæ Medicum nobilitat. Ecquid enim eſt Lanionum more corporum lacerare viſcere, niſi ea inſimul innoteſcant, quæ ſpisſis Artis noſtræ difficultatibus majorem ſubinde lucem fœnerent? quid eſt, quòd tot vexis hactens obnoxius fuerit ipſe uterus, potiores tamen ejus uſus & affectus in obſcuro ſemper manſerint, quæ vel obiter inſpectâ texturâ ejus glanduloſâ expediri facilè poterant. Equidem primò neminem, credo, latet, quantum ſe macerarint omnes ferè Anatomici in perquirendâ *liquoris* illius naturâ, quem ſexus ſequior non tantùm in ſtatu ſecundùm naturam, ſed & præternaturaliter in *fluore mulierum albo* copioſè profundere ſolet, quænam ejus origo, quæ officina & per quæ ferantur vaſa? Plures, cùm manifeſtis carerent viis, ad occultos & ut loqui amant, cœcos confugêre meatus, adeòque ſe turpiter excœcatos fateri malunt, quàm ulteriori perquiſitioni inſiſtere. Alii alia quærunt effugia & *ligamenta uteri rotunda* huic muneri alligare ſatagunt. Verùm neque hi fortè ſunt, qui rem acu tangunt. Iſtud quidem certum eſt, nobiliori eadem, quàm ligamentorum munere fungi, neque ſine causâ negligentiæ heîc accuſat Anatomicos, ipſe tamen certi quid determinare non audet FRANCISCUS BAYLE *Tract. de Conſenſu Uteri cum reliquis partibus.* Propius verò veritati accesſiſſe videtur CASPAR BARTHOLINUS junior, qui neſcio quam primò glandulam in brutis non tantùm, ſed & cùm Florentiæ viveret, in mulicbri cadavere ſimile quid obſervaſſe

ſibi

ſibi viſus, antiquam GALENI ſententiam ex Orcô revocare non dubitat, fœminas haud aliter atque viros ſuis gaudere proſtatis & illas ad urethræ exitum ſitas eſſe, tum *Tr. de Diaphragmate*, tum & *Epiſt. de ovariô mulierum* ſincerè profitetur. Cæterùm cùm jam abundè conſtet ipſam urethræ inſertionem non tam ſub alis, quàm potius quatuor vaginæ carunculis poſitam eſſe, illa quoque quæ urethræ munit exitum, ſua quidem de causâ, cæteris nonnihil major videatur, jam nemo non videt, quid ſibi velit hæc Bartholini opinio, quæ quidem in tantum à verô non abludit, niſi quòd inſufficiens ſit partium enumeratio. Non enim una vel altera glandularum tantum humoris imbrem facilè plorare poterit, ſed totum glandularum vaginalium contextum ſymbolum quoque ſuum addere inficias ire nemo ſuſtinebit, qui rem penitius conſideraverit. Heîc ergò latet fons & ſcaturigo liquoris illius genitalis, qui tantùm exercuit Anatomicorum ingenia. Hâc enim ſive callô ſive alia quâvis ratione obturatâ, ſicceſcere penitus ſolent illæ partes, quas aliâs continuô madore irrigari tam cordatè dictitabat Medicisque largum inde riſum movebat Chirurgus ille Giſſenſis apud HORSTIUM in *Obſerv. de coalitu partium genitalium.* Glandularum nempe munus eſt ſecernere, quod fusè docent WARTHONUS, STENO, GLISSONIUS &c. non nudâ ſaltem & mechanicâ colaturâ, ſed formali inſuper alteratione à fermentis cuilibet glandularum ſpeciei ſpecificis. Non enim una liquorum inde ſcaturientium facies eſt, ſed diverſa planè pro diverſitate glandularum ſecernentium. Hircum olent glandularum ſubaxillarium ſudamina, aurium cerumen fellis ſapit amaritudinem, ſudor ſalſedinem, urina lixivium: quæ omnia non caloris univocè ſemper agentis vim, ſed altioris puncti tranſmutatorem vel digitis oſtendunt, qui communem ſibi ex vaſis arterioſis laticem juxta indolem ſuam, motum & figuram variè alterare, in ſerum ſui generis convertere & per vaſa excretoria in deſtinatas cavitates diſpenſare novit.

Cæterùm, quamvis materiæ intuitu liquor hic ferè participet cum virorum ſpermate, neutiquam tamen ejusdem eum excellentiæ eſſe dici poteſt. Divinius quid latet in ſemine maſculino, generationis nempe principium & quoddam Archei centrum, quod de liquore muliebri pronunciari nequit, cum ne quidem ſeminis nomen tueatur, ſed omnium Medicorum conſenſu eò tantum deſtinatus ſit, ut ſubleſtum generationis negotium quoddam inde mollimentum & illecebrarum argumentum habeat. Ipſamet enim alma mater Natura ſibi ſat ſufficiens eſt ad fabricandam voluptati materiam ut neutiquam opus ſit perditis illis artibus (ſi quidem artes nominandæ ſunt vana quævis hominum ludibria) quas nonnulli Veneris nepotuli protervè profitentur, ſicut Antiquos inter OVIDIUS, AUSONIUS & Poëtarum alii, quibus cum Pictoribus quicquid impunè licet, juſtò ſæpè liberius locuti ſunt; eò tamen laſciviæ non devenêrunt, ac effrontes illorum ſequaces, quos inter agmen ducit famoſus olim ARETINUS Atheus, qui cum ſuo POGGIO auctor quoque audit maledicti illius & quotquot Solem unquam viderunt omnium perditiſſimi libelli *de tribus Mundi impoſtoribus*, cujus vel nomen horret mecum quivis Chriſtianus. Hic laſciva hujuſmodi Veneris myſteria & ut Terentius abuſivè loquitur, artis meretriciæ præcepta Italico ſermone evulgare non erubuit, quæ ipſa verò vel ex ſolo Auctoris nomine, tanquam ex ungue Leonem, quivis judicare poterit. Hunc tamen & alius imitatus eſt, qui parilis argumenti librum & ut vocat *Virginum Scholam* Gallicò ſcripſit idiomate, additis inſuper deſperati ingenii figuris æneis, quæ variâ recuſæ formâ, maximô hinc inde pretiò veneunt: Imo ſunt ut audio, qui hanc Libitinæ Scholam Germanicè verſam Typographorum prelis offerre ſatagunt; ſed Magiſtratus in eô erit totus, ne hæc exterorum toxica Germanos quoque inficiant, ut illorum diſcant mores

--- *quos Venus improba vexat.*

Tandem cùm ne hoc quidem commentariô ſaturata fuerit voluptuo-

ptuoſa Cupidinis Academia, Latium quoque laſcivire cœpit & obſtetricante ALOYSIÆ SIGEÆ nomine novum de *arcanis amoris* partum eſt enixum, qui cum tractato Medicô *de remediô contra libidinem mulierum* in Belgiô nuper prodiit & paulô poſt quaſi re benè geſtâ non ſua tantùm augmenta, ſed & nuperrimam Gallorum verſionem vidit: Liber de cæterô ejusdem cum prioribus notæ, ſtyli tamen puriſſimi & elegantiſſima Latinitate turgidus, ut mirer ego Virum adeo Celebrem, cujus nomini jam parco, mellitiſſimæ Suadæ ſuæ feudum tam malè locaſſe, nec pertimuiſſe illius Domini judicium, cui aliquando omnes de quovis vanè locato verbô rationem reddere tenebuntur. Imo ſunt & alia hujus farinæ monumenta, ſeu, ut verius dicam, mundi apoſtemata, quæ datâ operâ reticeo. Optandum enim, ne priora quidem innotuiſſent unquam & tantùm non totum contagiô ſuô tetigiſſent orbem: Quin laudandus omninò eſt quorundam Magiſtratuum rigor, qui hujus ſortis impietates vel igni vel Fiſco, JCtorum idolo, ſacras eſſe jubent. At verò ſemper aliquid hæret, multumque zizanii remanet, quod tandem clanculum ſerpendo creſcit. Nec inde multum jacturæ ferunt Bibliopolarum officinæ, qui id quod reliquum erat, non decuplô ſed centuplô diſtrahere norunt idque magna cum gratia. Novi enim aliquos, qui ſupra tactam Virginum Scholam tantô redemerant pretiô, quô integram ſibi bibliothecam comparant alii ſtudiis ſuis ſufficientiſſimam: Hunc verò utplurimùm exinde fructum ferunt, ut magnô quidem nominis & exiſtimationis naufragiô viva poſtmodum malè ſanæ curioſitatis ferant teſtimonia; tanti pœnitere quis emat? Eò verò nunc redeo, unde paululum digreſſus eram. Et cum jam abundè conſtet glandulas noſtras vaginales œconomiæ genitali & humani generis propagationi inſervire, unius autem rei plures ſint ſubinde fines, nullus dubito, quin & aliis eædem uſibus deſtinatæ ſint. Poſtquam enim ob primum Adami lapſum ex juſtiſſimâ Dei maledictione & hoc pœnæ genus ſexui ſequiori ſit dictitatum, ut in dolore ventris ſui parturire debeat, hinc natura de variis ejus

lenociniis ſollicita non tantùm humores in amniô contentos tanquam præcurſores quosdam partui præmittit, ſed & ipſe fortè fœtus in tranſitu preſſione ſuâ ex his quoque glandulis lentorem quendam emungere ſolet, quô vias magis lubricas ſuperare queat, ut jam plura taceam. Hæc enim ſunt potiora, quæ racemi vaginales hactenus promisêre, commoda. At verò nec ab omni noxa ſunt immunes, ſed & ſuos patiuntur manes. Ita enim eſt: Juncta ſpina roſis nec quicquam eâ gaudet dulcedine, quæ non inſimul quadam temperata ſit amaritie, cum vel nectarinus ſacchari dulcor tantæ potentiæ acorem in ſinu ſuo foveat, qui non primo ſaltem attactu ditiorum dentes in nigrorem corrodere, ſed varias inſuper in corporis humani penetralibus turbas dare ſoleat. Quin ergò id commune habent cum reliquis C. H. partibus, ut & variis infeſtentur morbis, imò longè pluribus. Nam ſi verum eſt HELMONTII ſancitum: Mulieres omnem bis pati morbum, id certè utero ejusque partibus aſſcribendum erit. Cùm enim multa ejus ſubſtantia glanduloſa ſit, quid mirum, ſi & iis, queîs glandulæ ob laxiorem ſui ſtructuram obruuntur morbis, obnoxius ſæpè fiat? Variis nimirum catarrhis, lymphæ effuſionibus, ſtagnationibus, corruptionibus &c. ita quidem, ut nulla ferè ſit uteri labes, in quâ non aliquid catarrhoſi ſubſit. Speciatim verò racemi noſtri vaginales verus nidus atque focus ſunt, in quô *Morbona muliebris* tragœdias ſuas variè ludit, exceptâ ſaltem menſtruorum œconomiâ, in quâ tamen & ſuas ſæpè vices obeunt. Quodſi enim liquor inibi generatus quovis modo abundet, neque tamen in cœlibatus ſtatu excerni ſufficienter poſſit, turgeſcentiâ ſuâ virgines miſerabiles aliasque in triſti orbitatis ſtatu viventes viduas juniores variè vexare & ſi SENECÆ verbis dicere fas eſt, quodam cum dolore delectare ſolet. Hinc enim illæ lachrymæ: *Tentigo* ſcilicet, *furor uterinus*, *clitoridis inſania*, *inſomnia Venerea* & inde ſcaturientes *pollutiones* nocturnæ aliaque tanquàm è fonte ſuô manare ſolent; imò ſi vel copioſior vel juſto ſeroſior glandulas haſce nimio ſuo pondere inundaverit, hæ in æquilibrio ſuo & ſtatione

ſtatione contineri neſciæ extus erumpere fictumque illum & Eruditis dudum exploſum *uteri prolapſum* mentiri ſolent. Quodſi verò ulteriorem corruptionis notam ſubeat, ſuæque fracedinis fermento M.S. craſin perturbet, tandem *chloroſin* ſeu *febrem Virginum albam* eniti quoque ſolet, quâ non omnia modò viſcerum fermenta, ſed totus inſuper corporis habitus in tantum alteratur, ut cadaverum inſtar palleſcant, & incantamenti ſæpè ſchemate fallere ſoleant. Nec admirationem meretur hæc præternaturalis corporis alteratio, cùm & in ſtatu ſecundum naturam ſub primis pubertatis annis inſignis planè mutatio fiat: mammæ turgeſcunt, vires ſuccreſcunt totusque corporis habitus floridior redditur; hinc illæ ſæpè virgines, quæ magis turgent virtute genitali cæteris ſunt elegantiores, dummodò ſimus, qui fuimus Troes.

Præter verò ea ſexcenta quoque Hippocratica varioſque ſapores morboſos induit liquor hic, ponticum, acerbum, ſalſum & qui glanduloſæ ſubſtantiæ infenſisſimus eſt, acidum; hinc varii partium *pruritus*, *excoriationes*, *ſpasmi* & ipſa ſæpè *paſſio hyſterica* his in glandulis furere atque reliquas non abdominis modò, ſed & præcordiorum, imò τȣ̃ ἐγκεφάλȣ quoq; partes in conſenſuales convulſiones rapere ſolet, non, quòd quidam inde vapores ſurgant, ut antiquata nunc Galeni dogmata ferunt, qui, prout quidem HELMONTIUS ludit, illis quaquaverſum penetrandi quendam ſalvum conductum dare novit; ſed id admirabili fit nervorum texturâ & criſpaturâ plexus meſenterici magni, unde ramos ſuos mutuatur ipſe uterus, quod ex elegantibus VVILLISII Tabulis cuivis innoteſcere debet. Etſi verò paſſio hyſterica utplurimùm ſuas in primis viis ſedes habeat, ipſique viri ſimilia hinc patiantur tormina, negandum tamen non eſt eam in uteri quoque ſubſtantiâ glandulosâ ſæpisſimè primas radices agere, idq; tum potisſimùm, ſi frigori extus irruenti id acceptum ferat. Si enim quidquam eſt, quod glandulis inimicum, id certè frigus eſt, cujus tamen cauſas hactenus neglexêre

xêre Phyſici, ii cumprimis, qui manifeſtis illud qualitatibus annumerare non dubitant, cùm aliis magnetis actio adeo occulta non ſit, quàm vera cauſa frigoris. Privativum quid eſſe, credat Judæus Apella. Certè vel ruſtici noſtri hanc ridebunt ſententiam, qui nil æquè magis, quam realem auræ Hasſiacæ carnificinam pertimeſcere ſolent. Sublimius quid ſubodorantur Recentiores Philoſophi Experimentales mixturis ſuis frigorificis, non tamen omnes fortè difficultates ſuperatæ penitus ſunt. Quicquid ſit, hoc certisſimum eſt, id quovis modô ab extra ſuſceptum masſam ſanguineam & lympham ita disponere, ut coagulum promptius ſubeant & quendam acorem contrahant, qui nervoſis locis adeò eſt infeſtus, ut HELMONTIUS ſuſpiriis ſuis Scholas (fallor tamen ſi non in vanum hactenus) dudum repleverit, *neſciunt*, inquiens, *ah neſciunt! acidum venis hoſtile!* Hinc pesſimè agitur cum ſexu ſequiori, quòd non paulò melius ſe contra externas aeris muniat injurias. Tantum enim abeſt, ut togis ad terram largè demisſis auræ cuniculos ſubterfugiant, ut potius nihil minus. Quin fortior eſt aeris per inferiora latus elater, cùm ab incumbente deſuper atmosphærâ continuò prematur, ſicut id Illuſtris BOYLE aliique eleganter oſtendêrunt & quotidiana in furnis anemiis experientiâ ad oculum demonſtrari poteſt. Hinc fortè ſanitati ſuæ magis conſulerent tenerioris texturæ Veneres, ſi novisſimi uſus ſubligaculis & femoralibus ſubtus ſe munirent, quorum utilitatem non ſat deprædicare poſſunt Matronæ caſtra ſequentes, quas alibi aulica quoque Gynæcea generosè imitantur. Ultima tandem eaque pesſima liquoris ſeminalis corruptio eſt in affectu plusquam nauſeosô, *fluore* ſcil. *mulierum albo*, qui glandulis his mage proprius & revera nihil aliud eſt quàm quædam Uteri Coryza, ex continuô humoris nutritii abſceſſu & fœdisſima in glandulis vaginalibus corruptione propullulans. Neque mirum videri debebat iis, qui veterem humoriſtarum Adamum exuere ſive nolunt, ſive nequeunt, unde tanta excrementorum copia inde ſcaturire queat? Fur enim eſt Tyrannus ille morboſus in

in partibus glanduloſis ſtabulans, qui non vicinas modò, ſed & omnes ſimul corporis humani partes ſuô defraudans nutrimentô in putrida hæc liquamina præcipitat. Oſtendit id habitus corporis: oculi concidunt, malæ labaſcunt, cæteraque membra ſolitô graciliora fiunt, quod vel mulierculis apparet, quando ſuum exinde dolorem & commiſerationem teſtaturæ dicunt: **Ey mein liebe Frau Gevatterin / wie ſehet ihr ſo ſpitz aus? ihr ſehet ſo ſchmahl / als wenn ihr eben aus dem Grabe gekrochen wäret.** Hinc quoque eſt, quod affectui huic tandem jungatur quædam cachexia, quatenus nutrimento ſuô defraudata viſcera fatiſcunt eorumque fermenta vitalia quandam patiuntur ecclipſin, imprimis ſtomachus, qui focô carens & igne cibos nec ſubigere, nec volatiliſare novit, ſed in putridam convertit mucilaginem, quæ nullibi correcta, ut inutile venarum pondus, quâ data porta ruit. Exaſperantur hæc omnia, ſi liquor hic malignitatem quovis modô contrahat & aciditatem corroſivam induat, in *Lue* ſcil. *Venereá*, ad cujus nomen quoque nauſeant & tremunt Germani, quamvis Galli eandem non multùm pertimeſcant, id quod ex hiſtoriâ conſtat, quam perſonatus ille VVIGANDUS in *eleg. de Itineribus Philiatrorum Germanorum Itin. Diſput. I.* de quodam Regis Galliæ Legatô, Viennæ perfectâ Lue graviter decumbente, refert, qui, cùm Medici morbi nomen diu modeſtè reticerent, ipſe tamen fortè perciperet, quem hoſpitem intus foveat, omnem triſtitiam exuens ad quosdam à latere ſibi ſtantes Nobiles dixit: Mesſieurs, i'avois bien mal & je ne ſçavois pas quelle maladie c'eſtoit, en fin i'ay trouvé un honête homme, qui m'a dit; que ce n'eſt autre choſe, que le mal de Naples & i'en ſuis bien aise, que ce n'eſt que cela. Reverâ tamen morbus eſt & æger & Medico ſat moleſtus, cujus primarius nidus atque focus ſunt hæ glandulæ vaginales. Hinc ſibi caveant ii, qui cum Marte adultero ſtationem ſuam & conſcientiam deſerentes in Veneris caſtris ſtipendia quærunt, neque fidant ſcrofis illis fœtidisſimis è Putipharis familiâ oriundis, quæ leproſæ ſuæ pellis puritatem

tem mentientes, ad autopſiam ſæpè provocant; quamvis enim primâ facie omnia ſalva videantur, latet tamen anguis ſub herbâ & in abſconditô furit acidum illud malignum, tantæ corroſivitatis, ut & ipſa, ſubſtantiæ quidem durioris, oſſa penitus erodere valeat, id quod tamen non huic modò, ſed & aliis affectibus, podagræ, epilepſiæ &c. commune eſſe alibi probatum dedi & ad oculum olim oſtendit publica quædam Epileptici Anatome, quæ ante ſexennium heîc adminiſtrata fuit. Hujus enim oſſa pariter & viſcera acidi penetrantiam variè experta erant, imprimis verò ſtomachus, cujus tunicæ ad unam omnes, non procul à ſuperiori orificiô, nævis plurimis atro-purpureis defœdatæ, in putridum planè & mucoſum liquamen corroſæ erant, adeò ut ad leviſſimum etiam contactum disrumperentur penitus omniaque contenta extus diffluerent, cujus rei teſtes appello, quotquot eidem actui interfuere. Veneni aſſumpti ſuſpicio erat, nullum verò in corpore vivo indicium. Non dubitavi hîc primariam caduci ſedem fuiſſe; cerebrum enim, in cujus ſectione quærebatur mali cauſa, omninò immune erat ſanoque ſimilimum. Et hinc fortè eſt, quòd Antiqui epilepſiæ cauſam venenum eſſe dixerint. Notum enim eſt, venena ſua in primis viis primùm deponere ſpicula easque variè aggredi, quod eſchara, communis illis, ſat probare videtur. Sic venenum peſtilentiale & contagium febrium malignarum ventriculo eſcharam impreſſiſſe, hinc inde teſtantur Caſuiſtæ: Cicuta quoque, quam duo illi Gregarii Auſtriaci Philippopoli pro cicutariâ ſuâ patriâ in acetario comederant, in ſtomacho ſui veſtigia reliquiſſe, ex eorum Anatome Excellentiæ Tuæ adhuc conſtabit, cui ſimilem penitus caſum lego apud KIRCHERUM in *Scrutiniô Peſtis.* Omnia tandem ea, quæ circa novam hanc Morborum Muliebrium ætiologiam hactenus dixi, confirmant & illa, quæ pro curâ eorundem militant, remedia, eò unicè collimantia, quò vel liquoris ſeminalis redundantiam, vel corroſivam ejus aciditatem corrigant & cohibeant. Præter enim univerſalia & Martialium ſubinde curam opem ferunt omnia, quæ

ex

ex alcalium ſunt proſapiâ atque ſale urinoso, ſeu fixo, ſeu volatili eoque vel manifeſto, vel occulto turgida ſunt; tum & omnia balſamica catarrhalia, myrrha, camphora, ſuccinum. Hinc antiquas inter compoſitiones tam maſculè ſeſe gerunt trochiſci de carabe in omnibus uteri fluoribus catarrhoſis & gonorrhœis, quamvis & opium ſuas inibi partes quoque agat, divinum planè remedii genus, tantæ præſtantiæ, ut feliciſſimus SYLVIUS dixiſſe feratur, *malle ſe carere praxi, quàm opiatis.* Quin & Generoſus HELMONTIUS *felicem æſtimat ægrum, cujus Medicus auxiliator noverit ſeparare lethalia è papavere, retentô auxiliô.* Imò verò felicem Medicum, qui juſtô tempore, numerô & menſurâ illud applicare novit! id quod fit obſervando regulam modô laudati Viri: *Opiata non ſomnum inducant, ſed ſaltem receſſum alimentarii liquoris cohibeant:* Ita enim non tantùm in ſeroſis fluoribus, ſed & omnis generis hæmorrhagiis mira præſtare, experientia toto die loquitur. Equidem multos ex nimiâ ſanguinis profuſione jam agonizantes opiô quaſi incantamentô quodam convaluiſſe ipſe memini. Sic cum Philippoli adhuc degerem, Cubicularium Generoſiſſimi Dn. Villani, Supremi Stationum Magiſtri, Excellentiæ Tuæ non ignoti, ex immani ejusmodi narium hæmorrhagiâ purpuream jam ſtillantem animam intra ſesquihorium reſtitui & quidem paucis opii granis. Heîc quoque Hortulani Academici, vulgò Boni Henrici, conjux *uteri hæmorrhagiæ* ſæpe obnoxia, graviter nuper decumbebat: Poſtquam verò adſtringentibus variis, ligaturis armillisque coralliatis & ipſo porcorum zibetho in vanum diu fatigata fuerat, maritus tandem noctu me conveniens ſuam mihi calamitatem referebat; periculum in morâ erat: quare miſturam ei dedi ad Sylvii mentem ex ſubcontrariis, ocul. ♋. corall. rubr. aceto vini acerrimô cum laudanô opiatô competentibus vehiculis dilatatam & manè res omnis in ſalvô erat. Quin eodem ferè remediô in vicina nobis Imperiali Fridbergenſi Puerperam ex *nimiô lochiorum fluxu* periculosè ſyncopizantem extemplô revixiſſe, ex ſincerâ Dn. Medici relatione

 refero.

refero. Et quis ignorat, quid non præſtet in omnis generis doloribus citò, tutò & jucundè ſopiendis? Hinc profectò non eſt de nihilô Beati LUDOVICI judicium, quando in utiliſſima ſuâ *de „ Pharmaciâ Diſput. I.* æquè multos ob meticuloſam opiatorum „ & emeticorum intermiſſionem, quàm Empiricorum manus oc„ cubuiſſe credit.

Sed abunde fortè de profundis opii opibus, cum quo in effectu conſpirat crocus, non pulmonum ſaltem, ſed & uteri anima. In Gonorrhoes autem incomparabilis eſt balſamus de copaiba, de quo & aliis ejuſcemodi exoticis videantur *Rerum Indicarum Scriptores:* A COSTA, BENZO, BONTIUS, CLEYERUS, KIRCHERUS, LAETIUS, LINSCHOTTUS, MARGRAVIUS, MARTINIUS, NIHOFIUS, PISO, RECCHI, & qui omnium fere compendium eſt Virque multorum laborum ERASMUS FRANCISCI. De caſtoreo variisque ejus præparatis res pariter certa eſt, quamvis illud caſtoris teſtes neutiquam eſſe Recentiorum itineraria teſtentur. Sic *Luem Veneream* radicitus exſtirpat ☿ lupus acidorum inſatiabilis, totam verò curæ hiſtoriam mea non capit epiſtola. Experiuntur indies incomparabilem Excellentiæ Tuæ felicitatem & in eâ curandi methodum Officiales caſtrenſes, cujus oculatus ego teſtis ſum. Porrò nec ignota ſunt vegetabilia varia utero ſacra, omnia ſale alcalino volatili turgida, quæ non varia modò dant decocta & infuſa, ſed & externè non omninò incongrua ſunt, ſive jam ſub cataplaſmatis formâ immediatè abdomini vel externo uteri orificio applicentur, cum ſubligaculo illo uterino & plus quàm pudicitiæ cingulo, cujus iconem habet SCULTETUS in *Armamentario Chirurgico*, ſive balnea varia & inſeſſus inde parentur, perinde eſt. Neſcio tamen annon omnibus iis palmam eripiat urinoſiſſimus ſpiritus ſalis armoniaci per ligneum GLAUBERI tubulum ſubtus adhibitus, in cujus defectu felici olim ſucceſſu matronæ difficulter menſtruanti commendavi phiolam longioris colli, circa aſperas extremitates laccâ Hiſpanicâ linteiſque munitam & carbonibus arden-

ardentibus impoſitam: Hocque magis conveniet, ſi vapor ejusmodi ſpirituoſus profundius in uteri concamerationem penetrare debeat. Quodſi tamen certò conſtiterit vitium in glandulis vaginalibus hærere ſuffitus ſubtus exceptus fortè utilior erit, v. g. ex mixtura ſalis ammoniaci cum cinerib. clavellatis, ſale tartari aut calce viva. it. ex liquoribus variis ſcoriis ferri candentibus infuſis, aut etiam lixivio ſcoriarum reguli antimonii, quod ob copioſum alcali in uteri affectibus nobile plane remedium eſt.

Tandem & DIÆTÆ œconomia ſuum addit calculum, quæ in omnibus mulierum morbis nil æque vetare vel vitare debet ac ſalſa nimis & acida. Aliâs verò in ſtatu ſ. n. non tam qualitas, quàm ciborum quantitas peccare ſolet, nec perpetua eſt nonnullorum regula: Qualis cibus, talis chylus &c. ineffabilis enim eſt ſtomachi alteratio, quæ in ſanis ex duriſſimæ notæ cibis optimum quoque chylum progignere valet. Potus easdem ſubibit leges. Vinum tamen eſt divinum, imprimis generoſum, modò Paulino, non verò more Palatino aſſumatur.

Hæc erant, *Vir Experientiſſime*, quæ Tuam nunc cenſuram ſubire deſiderant. Plura addidiſſe neque licuit, neque libuit, ne vel epiſtolæ vel verecundiæ limites exceſſiſſe videar. Quod ſi jam hæc talia ſint, quæ ſi non aſſenſum, ſaltem conſpectum abs Tua *Amplitudine* mereantur, eſſet equidem, de quo mihi gratularer. Sin verò ne hoc quidem, ſat me feciſſe putabo, ſi meum, quo *Excellentiam* Tuam hactenus deveneror, animum fuſius explicavero, qui magnam vitæ meæ partem eò locare amo, quó Viris viva validaque doctrina conſpicuis placere ſemper & inſervire ſtudeam. Valeat interim *Ampliſſima Tua Excellentia* & cum Splendidâ Familia felix ſemper & ex votô VIVAT! *Dab. Giſſæ Calendis Maji, Anno 1683.*

DISSERTAT. EPISTOLICA X.

DE

SELECTU PRINCIPIORUM & PRÆCAVENDA MEDICINÆ RUINA,

Ad

NATURÆ CURIOSOS IN GERMANIA.

Eminentisſimis veréque Germanis Germaniæ Archiatris εὐέχειν!

TRiennium eſt, vel quod excurrit, *Viri Per-Illuſtres*, ex quô Invitatoriis veſtris admodum honorificis me convenire Sque R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum albo inſerere non dubitaſtis. Nefas eſſe duxi huic, quam nihil minus eo cogitanti offerebatis, ſpartæ humeros illorum ſubtrahere more, qui non tam publicum curant, quàm cuticulam & vitam ſilentió tranſigunt veluti pecora. Quemadmodum enim illud ipſum pro ſingulari Benevolentiæ veſtræ teſſerâ accepto, ita jamdudum publicum obſervantiæ meæ teſtimonium exſtare debebat, quod in exteris tandem hunc in finem expedire volui, quò & debita perſolverem & veniam ſimul impetrarem, quòd excurſionibus meis ad tempus obicem figam fœderi noſtro literariô, cum Illuſtribus ordinis veſtri Viris dudum pacto, quos inter FEHRII, VOLCKAMERI, SCHROECKII, FRANCI, WEDELII, WALDSCHMIDII &c. venerabilia mihi nomina ſunt. Tantùm enim abeſt, ut animi ſaltem gratiâ viam ſim ingreſſus, ut potius ſum-

ſummas illas peregrinandi difficultates à LANSIO, OLDENBURGERO & ex profeſsò à VVILLIO deductas ultrò penſitaverim, quas fructuoſiſſima tamen Eruditorum converſatio & nunquam intermoritura Amicorum recordatio ferè diſſipare novit, quæ dulces exulum ſunt comites. Quid quod haud minima Medicæ exiſtimationis pars reputetur peregras inviſere terras, nec domi ſemper ſint aſſanda pyra: Quin dandum aliquid Germanorum conſuetudini, quâ relictô tantisper nativô ſolô Exterorum vitas, artes atque mores obſervare amant, quibus *Angli* ſpeciatim excellere ſolent, qui ut omnis generis ſcientiis tantùm non ultimam imposuêre manum, ita Artem noſtram Medicam ad ſummum perfectionis apicem evêxere dudum. Ab eò enim tempore, quô magnum quondam Britannorum Decus BACO de VERULAMIO ſuas *de incrementis ſcientiarum* cogitationes obtulit, incredibile ferè eſt, quantâ cum æmulatione & labore certarint invicem nationis hujus Viri, genere non minus, quàm eruditione Per-Illuſtres, DIGBÆI, HARVÆI, VVILLISII, VVALLISII, VVARTHONI &c. quorum ope & conſilio Cimmeriis ferè tenebris obſcurata Medicina tantò fulgore claruit, ut nihil ſupra. Quid quod hodiernò usque ſeculo ſtadium hoc feliciſſimè decurrant BOYLEI, CHARLETONII, SYDENHAMII, quî indefeſsô experimentorum ſtudiô artem æquè Medicam atque Phyſicam eò deduxêrunt, ut noſtro nunc tempore non tam de incrementis amplius, quàm decrementis cogitandum ſit. Sicut enim Athletarum habitus, cùm ad ſummum pervenerit, periculoſiſſimus audit ab HIPPOCRATE, ita fortè non erravero, ſi Arti Noſtræ Medicæ in eminentiſſimô perfectionis flore conſtitutæ certam tandem ruinam priſtinamq; barbariem imminere dixero, niſi communi Medicorum conſilio heîc debitâ prophylaxi caveatur. Multa verò ſunt, quæ hunc mihi metum incutere videntur, quæ tamen inter duo cumprimis eminent, quæ jam pace veſtrâ per otium quaſi aperire liceat.

A fronte ſcilicet ſtudii noſtri ſe offert ſumma principiorum

diverſitas & incertitudo: A calce verò prodiga nimis & illegalis Honorum Academicorum diſpenſatio. Illîc nemo fottè abnegabit, omnes, quotquot fuerunt unquam, Medicorum ſectas & disſidia è diversâ principiorum determinatione orta eſſe, quæ tamen ſub veritatis incudem delata fortè ſingula ſuos patiuntur manes. Exceſſu enim peccat *Elementorum* quaternio atque talia corporum naturalium elementis affricat, quæ aut extimè ſaltem lambunt eadem, aut in exitium eorum laborare ſolent, diſtinguant utcunque voluerint. Deficiunt ècontra *Alcaliſtæ*, cum acidi & alcali inſufficientiam jamdudum ex condicto demonſtrârit Ingenioſus D. BOHNIUS in *Epiſt. ad Langelottum* ſcriptâ. Acidum & viſcidum in eódem hærent luto. Quam ſubleſtæ verò fidei ſint cætera Chymicorum principia, ſueto ſibi more ſolidisſimè evicit BOYLE in *Chymiſtâ Scepticô.* Nec generoſi tandem CARTESII materiæ elementares omnibus ſuffecerint, quæ eruditam quidem & acutam ſapiunt hypotheſin: ècontra non amat hypotheſes natura, ſed, ut HELMONTIUS cavet, nuda ſpectari deſiderat, cui tamen & ipſi hôc in punctô *aqua* multum hæret. Ecquid vero tandem? Singulari hîc ſtratagemate militat Regia Anglorum Societas, quæ teſſeræ ſuæ (nullius in verba) memor de principiis hujusmodi ſecura, laudabili experimentandi viæ inſiſtens, Naturæ tramites haud infelici hactenus ſucceſſu proſecuta eſt. Quodſi Scholis illud arriſerit, tot inter ſententias accuratus demum ſelectus attentandus eſſet, ſiquidem Artis noſtræ præcepta ſuô ſtare talo debeant. Prout enim artis cujusq; principia ſeſe habent, ita quoque „ ars ipſa, ut eleganter *Parænesin* ſuam exorditur animoſus AM- „ MANNUS, indeque ſummum Inſtitutionum Medicarum, ſi quæ dantur, incertitudinem elicit, quæ, ſi paucas exceperis, Inſtitoribus ferè ad formandos cucullos aptiores ſunt, quàm inſtituendis Philiatrorum animis. Quod verò alterum erat Medicorum carcinoma, prodiga ſcilicet & illegitima Honorum Academicorum diſpenſatio, næ! præſentaneum inde Artis Medicæ diſpendium ſubvereor. Duplices autem ſunt, ni fallor, Profeſſorii ſcilcet &

(quod

(quod vulgò dicunt) Graduales. De prioribus heîc minus ſum ſollicitus, niſi quòd ejuranda ſeculi caries invaleſcat, quâ ſine ullo ſæpè eruditionis fulcro aut Heroum filii noxæ, aut Phyllida ludens Corydon, affectent ſacra profitendi munia, qui juxta PROBUM nomine magis, quàm doctrinâ Celebres, non Academiarum famæ modò incommodare, ſed & ipſi demum ad Pro-,, feſsionem ſpecioſam alligati ſub ingenti titulo laborantes in ſui,, ſimulatione pudore intus & faſtidio ſui divexari ſolent, ſicut eos-,, dem ſuó jam tempore graphicè depingebat SENECA *de Tranquill.*,, *animi*. De Gradibus ſaltem Academicis hîc quid dicam? dubito meherclè, an ullibi major illorum, quàm in Arte noſtrâ ſit abuſus, ubi nullô ſæpè discrimine agitur Tros Rutilusvè fuat, nec doctrina magis hominumque ſanitas in conſiderationem venit, quàm ſpecioſus nummorum inauguralium manipulus, quô vita proximi haud aliter ſæpè venum proſtat, ac Salvator ter decem denariis à Juda nequam. Quot Bone Deus! hominum, etiam Illuſtrium, myriades ſive trucidantur, ſive negliguntur, ab elumbibus ſæpe & aſparagorum more elixatis Medicaſtris, quod vereor ne in Promotorum tandem capita redundet, cùm reddenda fuerit ratio villicationis noſtræ. Quod ènim (Ethnicorum quoq; teſtimoniô) quis per alium facit, id ipſe feciſſe putatur. Neq; de nihilô penitus eſt HELMONTIUS, qui irâ inde prorſus incandeſcens cruentum Moloch cathedris ſæpè præſidere clamat. Religioſius certè negotium hoc penſitârunt Sereniſsimi Academiarum Fundatores, qui tot examina publica & privata, rigoroſa & tumultuaria ſubeunda etiam legibus cavere voluêrunt, ſed paſsivè burſam examinari, non doctrinam in propatulo eſt, utut de bonis inde quæſitis vix gaudeat tertius hæres. Equidem malè quondam audiebant Exteri, à LANSIO fortè non abſurdè *Inſtitores Graduum* inde dicti: Sed in mediâ nunc Germaniâ proh dolor! hoc delinqui videas & quod BASILIUS VALENTINUS ſuo olim tempore deploravit, ejusmodi ſubinde hominibus corollam porrigi, qui ne tantum eruditionis poſsident, quantum Gallus ille, qui elementariorum tabulas exornat. Docto-

rum hinc omnia plena, ſed in mediâ iſtorum abundantiâ Eruditorum ſumma eſt annona. Titulus ſine vitulo! Licentia non docendi, curandi, ſed occidendi, vel officioſiſſimè nocendi. Quod enim Monſpelii myſtico acclamatur ſenſu, ab AMMANNO ex profeſsô traditum, hoc triſti cum dispendiô re ipsâ perpetratur ab indignis Cathedrarum bullis: *Vade & occide Cain.* Quid autem de conſcientiâ agitur omni aurô pretioſiori? quid emolumenti in Proximum, quid in Rempublicam Medicam redundat? quid aliud expectandum, quàm certum generis humani exitium & ultima tandem Artis Medicæ barbaries?

Veſtrum ergò eſt, GENEROSA PECTORA, quæ Principum corda partim atque latera cingitis, partim Fori & Imperii Medici clavum tenetis, Veſtrum, inquam, eſt tempeſtivè præcavere, ne ad ultimum floris epilogum elata Medicina præcipiti lapſu ad ruinam tendat. Veſtrum eſt pro ſtatuminandâ Artis ſubſtructione per accuratum Fundamentorum ſelectum certos ponere limites, intra quos ad verum eruditionis decus & honores jure liceat aſpirare, ne dignus & indignus ſimpliciter ablativum adſciſcant. Sic DEI gloriam: ſic Proximi vitam: ſic Medicorum conſcientiam & promeritam Eruditorum evectionem certò conſervabitis eoque ipsò æternam Nominis Veſtri Celebritatem lucrabimini, quam ut proclivi modò reverentiâ devener or, ita nullibi non locorum perpetuum ejus deprædicatorem me publicè profiteor; & dum Artis Noſtræ cauſam modò egi juſtoque liberius alicubi locutusq; fuero, veniam inſimul & excuſationem precor, qui contra quamcunque minus æquam explicationem ſolenniſſimè proteſtor. Dabitur fortè occaſio, ut ſuperatâ, quò anhelo, Galliâ, me hâc in parte fuſius explicare, meorumque ſcriptorum Interpretem agere poſſim.

Valete in Domino feliciſſimè. *Dabam* Londini Britannorum *die* 18. *Junii Anno Salvatoris* 1686.

APPEN

APPENDIX I.

DE SEXU PLANTARUM EPISTOLA

D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII, Profeſſ. Tubingenſis,

Ad

D. MICH. BERNHARD. VALENTINI, PP. Giſſenſem.

Vir Excellentisſime.

QUi veros hominum conceptus ab imaginariis, uti colores veros ab apparentibus dictis, quorum illi omnibus iidem, hi aliis alii videantur, diſcerni poſſe prætendunt, ſcribendi Epiſtolam Autores mihi fuerunt. Etenim diu multumque circa Plantarum ſexum meditando occupatus, circumſpicere cœpi, cui potiſſimum conceptus meos examinandos darem: Et ecce! inter primos occurris, mi Theſſale, quem ratione & Amicitiæ, in Itinere quondam Belgico inter nos contractæ, & communium ſtudiorum in Philoſophia Experimentali, inaugurali oratione Tuâ quondam laudatâ, mihi conjunctiſſimum novi; Tibi nec ingratum fore hoc publicum, quod amicitiæ noſtræ debebatur monumentum, nec incongruum viſum iri medium pro expediendis argumenti difficultatibus, ſperabam.

Miſſis itaque alienis, rationem redditurus, cur Sexus Plantarum toties à Botanicis exploſus mihi valdè veroſimilis videatur, nec dum tamen abſque formidine oppoſiti proponatur, diſtinctè Tibi exponam, tum quid me alliciat, tum quid retrahat: Quod dum præſtare præſumo, & proprias & alienas rationes, quas NEHEMIAS GREW inprimis, & JOHANNES RAJUS, Celebres Angli (nec enim hactenus alios vel Autores vel Fautores ſententiæ affirmativæ novi, niſi quòd C. STURMIUM in Phyſ. Concil. & Diſp. d. Gener. ſubſcribere deprehendam) ſuppeditant, referre operæ pretium puto, ut quibus ipſi convicti rationibus in ſententiam iſtam conceſſerint, & quibus ego trahor, pateat; Scrupulos autem, quos ipſe concepi, (nec enim qui ex profeſſo contra noſtram explicandi Sexum in plantis rationem ſcripſerit novi) quoſque nec dum eximere valui, bonâ fide ſubjungam, & ſic munere quaſi defunctus expectabo, quâ tandem facie Tibi ſe præſentaverit Sexus ille Vegetabilium, an eâdem mecum, an diversâ ratione, an veri, an imaginarii ſint fuerintve mei conceptus?

Primam igitur proponi patere, quâ nitor, Plantarum Hiſtoriam, aliquanto quidem prolixius, non ultra tamen, quàm neceſſe fuerit. Hanc exordiar ipsâ Florum conſideratione: Hi præcedanei ſeminum nuncii, duo præcipuè offerunt conſideranda, Petala, Staminumque Apices. Utrumque magna pars plantarum poſſidet, nec tamen omnes: Sunt enim, quarum flores Apetali, ſ. foliolis iſtis colore & figurâ toties variante inſignibus deſtituti, & minus ſpecioſi, non niſi Apicibus gaudent; ἄνθη χνοώδη vocavit olim THEOPHRASTUS ERESIUS, Interpretes flores lanugineos, muſcoſos reddiderunt, ſtamineos J. JUNGIUS in *Doxoſc. Phyſ.* appellat, in oppoſitione ad flores foliaceos, ἄνθη φυλλώδη, quibus Petalorum nomen à FAB. COLUMNA inditum rectè ſervatur. Utut ergo plantæ Petalis præditæ florere non ſoleant ſine apicibus, qui naturaliter plures paucioresve pro differentiâ ſpecierum adſtant, reliquæ tamen ſine petalis florent, ſequiturque ſemen

fœcun-

fœcundum non minus ac in prioribus; Cùm inſuper non modò Roſa e. g. & Lilium, verùm etiam Vitis & Triticum &c. floreant, colligendum utique videtur: Apices verè & propriè eſſe ipſos Flores, & in abſentiâ petalorum florem iſtis ſolis abſolvi. Criticis id probari, nuper mirabar; SALMASIUS *in Exercit. Plinianis* ſtantes in medio roſæ apices luteos citat ex PLINIO, & flores propriè vocari vult Crocos florum, ſ. quod intus croceum eſt, τὸ κροκῶδες DIOSCORIDI: (Notandum tamen, crocum herbam ſ. florem, crocum ſtaminum apices, & crocum Aroma, peculiares ſc. in medio iſto flore villos, tria diſtincta eſſe.) Hinc Narciſſum *Ovidii*, cui croceus flos, foliis medium cingentibus albis, non niſi in medio luteum, Amellum *Virgilii*, cui aureus flos, talem ob apices aureos vel croceos eſſe prætendit, ſed quem Melilotum determinans D. WEDELIUS clarius illuſtrat. Conſpirant, qui apicibus capitulata ſtamina roſarum in Officinis Antheram, quaſi ἄνθος ῥόδου, dicta putant.

Apices iſti cùm ad debitam devenerint perfectionem, vario colore, hîc luteolo, ibi croceo, in quibuſdam purpureo inſignes, deprehenduntur eſſe vaſcula quædam, ſive capſulæ, ſuis ſingulæ inſidentes ſtaminibus ſive petiolis, ſolentq; ultrò pandi & dehiſcere in binos utplurimum quaſi ſulcos vel loculos, quô ſanè tempore repletæ notantur pulvere quodam admodum tenui & ſubtili concolore, qui hinc effunditur, & in viciniam diſpergitur. Hic pulvis eſt, quo olfacientium nares à roſis liliisque citatis colorantur, qui manibus tritus delicatus planeque farinaceus deprehenditur, & per microſcopium conſpectus comparet ſub formâ innumerarum ſphærularum, ſ. globulorum egregiè quaſi tornatorum, ex membranaceis ſuis theculis dum exſiccantur excuſſorum, quibus non eadem in diverſis plantis magnitudo, ſuperficieſque in quibuſdam quaſi echinata & hirſuta eſt.

Iidem apices ubi ſociis gaudent petalis, medium ipſorum occupant, in utroq; autem florum genere ſeminalis vaſculi ſtylum ſ. appendicem æquè circumſtant; Oriuntur enim modò ab inte-

 riore

riore petali ſubſtantiâ, modò communi petalorum & ſtyli principio, & hinc forte aliquem ſemper ad petala reſpectum ſervant. Ita numerus apicum modò æqualis eſt numero petalorum vel laciniarum ſ. cuſpidum, quibus flos monopetalus gaudet, Tulipa e. gr. 6. petalis & apicibus, valeriana græca, lyſimachia lutea 5. pet. & ap. Datura 6. cuſpidibus, totidem apicibus, campanula, ſolanum, borrago 5. lacin. totidemque apicibus, rubia 4. &c. modò inæqualis, tàm minor: ut in Iride 9. petala, 3. apices, gladiolus 6. petala 3. apices, veronica hederulæ folio 4. lacinias, 2. apices, quàm major: ut in tetrapetalis ſiliquoſis 6. ſunt apices, tetrapetalis papilionaceis 8. pentapetalis multis 10. Ob copiam talium apicum flores roſæ, malvæ, papaveris, ranunculi, &c. ſtaminoſi audiunt RAJO. Quò verò ad ſtylum quàm maximè ſe accommodent apices, in quibuſdam inæqualia ſortiti ſunt filamenta, quibus inſident, e. gr. in tetrapetalis ſiliquoſis quatuor apices altiores eminent, duo infra latent, ut benè ſtylum contegant; in lychnide item 5. longiores, totidemque breviores. Equidem cùm in ipsâ arboris gemmâ, & bulbo ſub terrâ jam præexiſtant conſpicui, ſi curioſo oculo interiora luſtres, hinc quamdiu flos clauſus eſt ſtamina invicem ſtyluſque in multis quaſi conglutinata ſunt, ſub turgeſcentiâ divellenda, & manifeſtanda cum ipſo flore recens expanſo. Tum verò ſemen aut ſeminalis vaſculi principium unà comparens, cui flos modò innaſcitur, modò primum involucrum eſt, ſ. ſtylum habeat, qui intra pericarpium capſulamve ad ſeminum veſiculas tendit, qualem in Caryophyllis conſpicimus, ſeu ſtylus ipſe in vaſculum excreſcat, ut in Tulipis patet, apices tamen ſuos nuſquam non vicinos, ſtaminibuſque ſtylum (vel pro varietate plantarum ſtylos plures) habet permixtum, ut in ſummitate, ubi hiare ſolet, modò bicornis, modò tri & quadrifidus, imò totus cum interiore petalorum ſuperficie copioſo apicum polline primò & maximè non poſſit non irrorari. Hìc mecum aſpice flores Borraginis, *in quibus*, ut RAJI verbis utar, *ſtaminum capitula pediculis directim ſita lateribus inter ſe coeunt, ut fiſtulam quandam conſtituant,*

tuant, in quâ ſtylus ita includitur, ut extimâ tantum parte promineat: item, in Malvæ floris medio *tubuloſum corpus, quod*, MALPIGHIO notante, *ſurculi inſtar multiplices ſtaminum petiolos promit, interior autem concavitas ſtylo occupatur, & ejus tubæ eminent;* Cui junge *columellam*, in flore Althææ Ricini fol. virginianæ à D. P. HERMANNO deſcriptam, *racemoſam innumeris apicibus violaceis exornatam: Piſtillum è medio* Althææ Indicæ *flore amplo flavo prominentem, copioſis apiculis puniceis eleganter paniculatum, &c.* verbis Laud. Præceptoris.

Simultaneum iſtum petalorum apicumque exortum ſequitur brevi tempore ſimilis delapſus, & tum ſtyli ſuperſtitis partem inferiorem intumeſcere, ſuperiorem autem qſ. infundibulum paulatim marceſcere, notant Botanici; Quo ipſo invitatus majuſculum papilionaceum florem nondum panſum, adeoque nec juſtâ magnitudine nec debito colore adhuc præditum examinandum ſumſi, in ſiliquæ poſt floris delapſum intumeſcere ſolitæ rudimentum, qualénam t. t. ſit, remotis petalis ſtaminibuſque inquiſiturus: Ubi ſanè per tenellæ ſiliquulæ ſoli obverſæ, clarius per microſcopium viſæ membranulam notare licuit transparentes virides exiguas veſiculas, ſuo jam ordine ad mediam coſtam locatas, quas ex continuatâ ſequentium dierum in pluribus obſervatione non aliud fuiſſe comperi, quàm externum futuri ſeminis involucrum ſeu corticem. Poſtquam enim caſſæ jam ſuo polline apicum capſulæ cum petalis fuiſſent delapſæ, & exporrecta magis ſiliqua, in cavitate veſicularum medioque liquore limpido non viſum antea notari primò cœpit punctum quoddam viride, ſ. globulus planè exiguus, liberè natans, in quo nihil adhuc organici vel diſſimilaris agnoſci, à me quidem, poterat; At ſub ulteriori incremento bina foliola diſtingui, liquorem ſenſim abſumi; & tandem perfectam lobis, germine & radiculâ ſeminalem plantulam ſolam cavum corticis explere, autopſia docuit; Quem proceſſum, ut plura alia huc omninò ſpectantia, iconibus eleganter illuſtravit MALPIGHIUS, quibus inſpectis, imò collatis cum ipsâ plantâ

 (nec

nec enim ita ſcribi vel pingi poſſunt, quin præſtet oculis ipſa ſubjici fidelibus) clarior ſanè evadet eruenda hinc ſententia, de quâ ipſe quidem non cogitaverat. Sic itaque non in herbis modò, ſed & arboribus rudimenta fructuum ſunt in floribus vel unà cum ipſis, per conſequens, tot utique ſuo tempore ſperandi ordinariè forent fructus, quot præceſſerant flores, niſi variis injuriis ſæpius ante maturitatem caderent vel avellerentur. Rectè hinc SCALIGERO flos inchoatus fructus audit; item VIRGILIUS in Georgicis Corycii ſenis induſtriam ex eo etiam capite deprædicans quòd nec ullus vernus deſtituerit ipſum autumnali fructu, arborem in flore pomis indui benè canit:

Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbor
Induerat, totidem autumno matura tenebat.

Plantarum apetalarum quædam flores aliâ parte, aliâque ſemina ſive fructus ferunt, adeòque divulſos à ſtylis apices, ut hîc ſpecioſus apicum apparatus erumpat, ſed absque fructu ſubſequo evaneſcat, ibi ſub aliquali diſtantiâ, non alio prævio flore, ſtylus rudimentaque ſeminum ortum capiant. Fructum à flore ita ſemovit Natura in herbis quibusdam, e. gr. Frumento Turcico, Lachryma Jobi, Ricino, Heliotropio tricocco, Ambroſia, Arctio, &c. Notior eſt frumenti illius juba inſignis ſive panicula, quæ culmum terminat, quàm ut prolixè deſcribi neceſſum habeat, manifeſtum item, poſtquam ſine ſpe ſeminis ipſa jam evanuit partimque exaruit, inferius circa nodos & genicula matureſcere ſpicas illas craſſas cylindraceas, quæ cum granis ſuis tot foliis involutæ, ex ſingulis protenſa fila oblonga emittunt, caudæ inſtar ſparſa, & florum quondam pulveri ſubjecta. Eodem modo ſe res habet cum Ricino, cujus pilulæ ſphæricæ panduntur in apices, in ſummo autem thyrſo erumpunt ſemina tricocca, cum ſuis ternis rubellis plumulis Utut itaque has plumas florem vocare quidam ſoleant, utut apicum in hoc genere alia nonnihil conditio, præcipuè major copia ſit, nihilominus ſimiles capſulæ, farina in eis

non

non diſſimilis, eadem globularis microſcopio teſte figura, hos & veros Flores eſſe evincunt, & iſtos flores vulgò dictos non niſi fructuum ſtylos eſſe demonſtrant; Reliquas herbas, quòd nec patriæ indigenæ nec horti incolæ hactenus fuerint, ſub examen vocare nondum potui.

In arboribus quibusdam, piceâ e. gr. abiete, pinu noſtrâ ſylv. corylo, juglande, quercu, alno, &c. correſpondet non minus elegans apicum floridorum & ſtylorum conditio. PLINIUS quidem *Hiſt. Nat. l. 16. cap. 25.* inquit: *Non omnes arbores florent, & ſunt triſtes quædam, quæque non ſentiant gaudia annorum. Nam neque ilex, picea, larix, pinus, ullo flore exhilarantur, natalésve pomorum recurſus annos verſicolori nuncio promittunt.* Nihil certius, ſi de petalis ſermo ſit, quæ alibi variis colorum picturis in certamen usque luxuriare Eidem dicuntur. Ex allatis autem hactenus rationibus Juli, arboribus iſtis proprii, quos catulos in juglande JOACH. CAMERARIUS in Horto vocat, TRAGUS lange Zapffen/der Nuß Getreid / ex plurimis apicibus ſive meris farinaceis vaſculis compacti, veri Flores ſunt, nullatenus confundendi cum catulis Salicum quarundam fertilibus, qui numeroſis vaſculis ſeminalibus monente *Rajo* conſtant, nec cum conis aut nucum, glandium &c. principiis, quod facilè agnoſcent, qui arbores ipſas conſulere amant, ſimul enim iſta in eâdem diſtinctè conſpicient. Quapropter hîc etiam rubella iſta filamenta, quæ primo vere ex gemmâ coryli prodeunt, purpurei item quercûs flores *Jungio* dicti, ſed benè Ricini plumulis comparati, & omnes in reliquis ſimiles tubæ, quòd rudimentis fructuum inſident, ad ſemen ceu ſtylus aut ſtyli appendix, referri debent; Dum interim ab ipſis non modò diſtincti, ſed & ramis disjuncti apices ſive pulverulenti Juli deflorèſcunt, ſine ſubſequo quidem ibi fructu evaneſcentes, ſuæ tamen prius arboris fructuum hinc inde poſitorum principia, utpote intra ipſorum ſphæram conſtituta, dum vento exagitantur, farinâ ſuâ largè conſpergentes. In totâ quippe hâc plantarum claſſe admodum inſignis iſtius pollinis datur copia, ut & Botanicorum presbyter,

byter, MAUR. HOFFMANNUS julorum abjetis farinam palleſcentē nimborum ſulphur conſtituere ſuſpicetur in Catalogo Horti Altorfenſis: Similis ſulphurea farina coryli pro uſu medico à Quibusdam colligitur & ceu inſigne antepilepticū commendatur; cautelam quandam vide ſis *Eph. Germ. N. C. D.3. A.1. O.121.* Pariter julos nucum ſpecificè conferre hyſtericæ pasſioni non ſolùm Matthioli teſtimonio, ſed plurimis experimentis confirmatum eſſe tenet MAGNOL. Botan. Monſpel. Accuratè hoc julorum & fructuum diſcrimen notavit THEOPHRASTUS; adducit nucis ἴȣλον, Interpretes verterunt villum, quercûs βρύον, muſcum, piceæ κίτταρον, nucamentum, & proprium quibusdam τὸ τῆς καλȣμένης κάχρυ⊙, quod appellent amentum. τὸ ῥυῶδες (βρυῶδες) racematum quiddam avellanæ, vermis prægrandis magnitudine (fimbriis hisce corylorum piper longum Alii comparant) quod julum appellent, deſcribit tanquam ex minutulis ſquamis innumeris ordine ſtrobili nūcis pineæ conſtans corpus, poſt captum hyeme augmentum vere dehiſcens, quo etiam tempore ſquamata iſta flaveſcant & decidant; Inquiri inſuper vult, an tilia, an plures arbores ſimile quid ferant an ſint cachryophoræ! Habuit hîc, in quo ſe exerceret SALMASIUS. Negat Ipſe Julum eſſe florem, negat item eſſe βρύον ἀρωματικόν, quo uſi vett. in unguentis: Prætendit igitur βρυώδεις ἰȣ́λȣς arborum nec florem, nec aliquid florum inſtar eſſe: προανθήσεις verius, quàm ἀνθήσεις vel ἄνθη appellari. Unde quos PLINIUS ad nihil utiles, Ipſe fatuos flores vocat, rationem addens, quia ex illis locis non procedunt, unde fructus ſolet enaſci. Odoratum autem muſcum, græcis bryon, phaſcos in quercu, qui inter ſpecies aromaticas pro unguentis à PLINIO enumeretur, cujus etiam inter odores meminerit D. HIERONYMUS, cùm nec Muſcum communem arborum eſſe velit, nec Julum, aliud muſci genus excogitat, panni inſtar vel faſciæ candidæ, in certis quibusdam arboribus deprehendendum, eâ præprimis uſus ratione, quod DIOSCORIDES & GALENUS bryon odoratum è Cedro commendent; *At cedrus,* inquit, *nullum ejusmodi* βρυώδει *florem emittit, ut popu-*

populus, *picea*. Tandem unguentis miſceri prætendit non propter odorem, ſed propter στύψιν; *nec per ſe unguentum faciebat, nec ſuffimentum, licet & ſuffimentis adderetur.* Verùm, quod prius concernit, tranſeat ambiguitas vocis, bryon, quâ & muſcum & julum dicit, tranſeat item ratio Ipſius, ſatis in ſeqq. refellenda, placent potius alia Ejusdem verba, quæ etiam ſponſionis loco prioribus eſſe poſſint: βρύειν *eſt florere non quolibet flore*, *ſed denſo & conferto; hinc flos condenſus & capillorum inſtar confertus & conſtipatus, propriè* βρύον. THEOPHRASTUS hîc nil determinat, ſed ſententiarum modò diverſitatem recenſet, quod hi arbores iſtas florere dicant, illi julos analogos eſſe groſſis præciduis velint. Huc tamen omninò facit, quòd alibi de partibus plantarum agens, inter annuas recenſet bryon non minus ac florem, & ad fructificationem pertinere dicit; quod ſanè muſco ſuperficiei arborum non competit. Quid, quod flos abietis crocinus pulcherque, quem bis citat, utique non niſi Julus ſpecioſus eſſe poſſit. v. *Hiſt. Plant. l. 1. c. 1. & 3.* item *c. 21. & l. 3. c. 6.* Circa poſterius punctum, de eo quod veterum bryon aromaticum fuerit, parum modò ſollicitus, rationem ſolùm allatam minus firmam reputo: Si *Cedrus*, ut Ipſe ex Plinio, *in duo genera dividitur*, &, quod mox de Junipero confirmabo, *florens fructum non fert*, *frugifera autem non floret*, præſto utique erunt flores βρυώδη; Erit etiam in promptu ratio, quam ſibi dari deſiderat, unde Lupulus bryon dictus fuerit. Cæterùm unguentorum ingrediens fuiſſe julos, quid obſtat? Pro populneo quidem oculos ſ. gemmas ſumunt, at uvæ fuerant præſcriptæ, ſ. flos καχρυώδης. Aliud, dum hæc meditor, incidit; Bryon ſ. julus uti arboribus hactenus, ita & muſci quibuſdam ſpeciebus aſſignari poteſt: Clavus, unde nomen habet muſcus terreſtris repens, hoc utique nomen meretur, ſcatet enim farinâ conſimili, inflammabili, adeò copioſâ, ut excitandis ignibus artificialibus inſerviat, item pro ſuffumigiis reſinoſo pulveri commiſceri ſoleat: Baſin etiam hanc Quorundam Pulveris Cyprii fuiſſe memini, ut Aliis etiam communis arborum muſcus pulveriſatus hoc

fine uſurpatur. Sed ad alia. *Apes* περὶ τὰ βρύα ἀναρριχώμεναι *ceram priorum acumine pedum capere* dicuntur ARISTOTELI *Hiſt. Animal. l. 9. c. 40.* item, *ceram conficere*, ὅταν ἡ ὕλη ἀνθῇ, *cùm ſtirpes florent;* quò ſpectat & illud ἀνθοφορεῖν, inter varia munia ipſis aſſignatum. Non aliter PLINIUS *l. 11. c. 8. & 10. apes* dicit *ceram ex floribus confingere, flores pedibus aggerere, comportare.* Utique non petala: *Non flores*, inquit CÆSAR commentator, *ſed florum lentorem;* per brya enim non flores, ſed quæcunque germina intelligenda eſſe vult. (Alibi tamen, ſcil. *Comm. in Theoph. d. Cauſ. Plant. l. 2. c. 15.* bryon vicarium floris agnoſcit; Nimirum ſui ipſius vicarius erit.) Clarius ceræ materiam determinant hodie, qui derivant ipſam à globulis apicum jam dictis floridis, quos pedibus apes prehendant devehantque, pro quorum etiam diverſitate variet ceræ ex variis plantis collectæ color, vel iſto confirmati, quòd in cerâ agnoſci per microſcopium poſſint florum apicumvé, unde deſumpta fuit, globuli: Ex *Act. Anglic. Giornale de Lett. à Parm. A. 86. n. 7.* Nobilis *Georgicæ Curioſæ Autor* jam olim COLERO viſum notat, confici vere ceram ex julis, auß den Palmen oder Zäpfflein / corylorum. RAJUS autem: *Rectè à D. Grevvio obſervatum globulos hoſce ſeu particulas ſeminiformes apicum thecis incluſas, illud ipſum corpus eſſe, quod Apes colligunt & femoribus appenſum geſtant, quod noſtrates panem Apum vocant. Ceram enim ore domum portant, mel ventriculo.* At iſta viderit Apiariorum Curioſitas. Denique, ut Digreſſioni terminum ponam, cùm Amen, amentum hoc arborum, quaſi apimentum, ab antiquo, apo, quod ligo, jungo ſignificat, derivet SALMASIUS, aliam quoque rationem nominis ex OVIDII MONTALBANI Dendrologia Aldrovandinâ placet ſubjungere; Ita autem Ille: *Fatuum quid, nil minus ac ſtolones in arboribus ſunt inanes illæ efflo-reſcentiæ, quæ Amenta dicuntur, ceu à mento pendentes barbæ lanuginoſæ, quarum deciduis pilis nimis exilibus alii ſuccedunt durabiles. Ab hâc arboreâ lanugine, cùm humanæ barbæ primò erumpentis ſpeciem referat, & julus quoque nomine magis proprio vocetur, Julos*

(Julios)

(Julios) *plerique dictos autumant.* Verùm in his diutius morari operæ pretium non eſt, dicantur undecunque aut qualitercunque velint, modò ne falſum ipſis aſſignetur officium: Nec pili inutiles, nec nucum rudimenta ſunt hæc arborum nucamenta. Unicum addo: Cùm gallæ quædam julis iſtis Quercuum nuper circa Aſpergum, Patriæ Caſtellum, adnatæ vulgò fuerint habitæ pro Uvis, & earum famam ipſæ novellæ publicæ quaqua verſus dilataverint, quapropter Lectionem Phyſico Botanicam Epiſtolæ hujus additamentum eſſe volui, prout ipſam quidem de hoc themate in promotione Baccalaureorum t.t. captui auditorum accommodavi; Similes à CHARRASIO, nondum quidem mihi viſo, deſcriptas audio.

Superſunt aliæ ex herbarum apetalarum claſſe, in quibus novus floris ad ſemen reſpectus occurrit; Mercurialis enim, Cannabis, Spinachiæ, Lupuli quædam individua florere, alia ſemen ferre ſolent; i.e. ſiquidem ſemina ejusdem plantæ debitè matura & fœcunda eidem ſolo committantur, duplices inde prodire notantur plantæ, quibus omnimoda intercedit ſimilitudo, & idem omnes nomen tribuunt, uſque dum ad opus generationis ſe accingentes, hæ non niſi florem, i.e. ſtaminum apices ferre, & fructu ſeu ſemine omni in totum carere: illæ autem fructum ferre, ſed uti petalis ita & apicibus omninò deſtitui conſpiciantur: Quod mirum utique dignumque adeò ut *Syllog. ſua Memorabilium Centur. 9.* inferretur viſum quondam *Proavo meo b.m.* Prænuncii ſeminum in fertili ſeu frugiferâ ſunt ſtyli, aut criſpæ rudimentis inſident plumulæ, quales §. præcedd. notavi: Flores autem racemuli ſolent eſſe apicibus onuſti, pollinis itidem promi condi, multiplici figurâ; Rotundas ☿ialis capſulas JUNGIUS capparis floribus comparat, queis veſcimur, ſed multò majoribus. Idem has plantas floriferam & proliferam ſpecie non differre rectè monet, ſed culturæ, quam accuſat, diverſitas non ſufficit: *Quæ cannabis*, inquit, *ſummittitur in ramos, ſemen fert; quæ ita colitur, ut abſque ramis gracili altitudine aſſurgat, florem fert abſque ſemine, & hæc ad*

filificium commoda. Sedulus autem TRAGUS: **Dieſe beede wachſen von einerley Samen/ wie es aber in der Erden zugang/ daß einer fruchtbar / der ander unfruchtbar bleibet / iſt ein Geheimnus der Natur.** Equidem & ex reliquis ſteriles florigeræ non niſi ſativarum vitium eſſe, aut cultûs intermiſſione degenerâſſe vulgò putantur; Verùm tanta hîc eſt conſtantia, adeoque conſpirant in hoc florendi modo ſingulæ, ut longè aliud ſubeſſe neceſſe ſit; ſub eâdem quippe culturâ integros agros in campis, areas in hortis utrâque plantâ obſitas cuivis licet examinare, ibique omninò notabile, promiſcuè ſ. permixtas invicem naſci diſtinctas hujusmodi flore ſemineque plantas; dum fertilis fœtificat, ſeu rudimenta ſeminum prima exhibet, ſterilis florum apicibus luxuriat, & concuſſa pulveris copiam ſpargit.

Idem in Arboribus quibuſdam phænomenon occurrit. Equidem minus tutum eſt, exoticis, utpote quorum autopſia non conceditur, niti, nihilominus THEOPHRASTUS non ſine conſenſu & approbatione multorum, tam Veterum quàm Recentiorum, de Palmâ teſtatur, *unam florere, alteram protinus fructum ferre, & fructum in hâc perdurare nunquam poſſe, niſi florem illius cum pulvere ſuper eam concuſſerint.* Quæ de analogâ caprificatione idem prolixè diſſerit, iis commendatum eſto, qui in ſolo patrio tale quid obſervare poſſunt. Propriis autem obſervationibus nixus confidentius Ipſi ſubſcribo, quando de vulgari arbuſculâ Junipero ſcribit, *hiſt. l. 3. c. 6: Nonnulli binas Juniperos eſſe dicunt, & alteram florere quidem, ſed fructum non ferre: alteram non florere, ſed protinus fructum oſtendere.* Hoc enim facilis comprobat experientia, & demonſtrat, malè PLINIUM *l. 16. c. 25.* id falſum dixiſſe: Utique dum verno tempore per junipereta ambulamus, tenuiſſimus ille pulvis luteus fumi inſtar copioſè elevatus, quem TRAGUS jam olim notavit, (**im Meyen ſihet man ein gälen Staub von dieſen Bäumen fahren / das muß die Blüt ſeyn.** Ita quidem editio mea germanica Sebiziana: RAJUS autem pulverem iſtum à TRAGO ſemen vocatum fuiſſe prætendit, taxans

J. BAU-

I. BAUHINUM, quod pro ſemine florem ſcripſerit) ad manifeſtam juniperorum differentiam contemplandam transeuntes invitat; non enim omnes juniperi pedibus concuſſæ illum emittunt, quamvis ſimilimæ ſint, verùm illæ ſaltem, quæ copioſiſſimis ac parvis & erectis julis ramos habent obſitos, non item, quæ baccas ferunt, & in magno hujusmodi arbuscularum numero, ne unicam reperire hactenus valui, ubi in eodem individuo utrumque ſimul fuerit, flos & bacca; dum ergò hæc juniperus baccarum rudimenta trudit, altera, cum priore quidem promiſcuè in campo creſcens, & ipſam & omnem viciniam ſuo polline ventis diſcuſſo inficit. Ita duplex quoque Morus hæc baccâ, ejusque plumulis ſive ſtylis, illa flore ſcil. apicibus inſignis, hinc in *Flor. Altorf. Morus foliis variis flore muſcoſo julaceo ſive vano, ineunte vere nucamentum prælongum parturiens*; Laurus item, quam *Theophraſtus* fructu viduam βρυοφόρον, muſcum ferre, dicit, alibique βοτρύδιον, uvam ipſi aſſignat, ſed, in quo fortè error, quam ferat etiam fructifera laurus, ſi non omnis, ejus tamen genus quoddam, ſterilis autem copioſius. Rectius MAGNOL, *In hortis duæ*, inquit, *præcipuè obſervantur differentiæ, una ſcilicet baccas proferens vulgò Baguier, & altera, quæ ſolùm flores producit, & dicitur ſimpliciter, Laurier*; Sterilis enim hactenus in horto usque fuit noſtra Laurus florida. Num Sabina, Taxus, aliæque huc referri poſſint, inquirendum; Item Fraxinus, quam duplicem in Horto cultam citat HOFMANNUS, primam ſterilem, cujus flores ante foliorum ortum Julorum inſtar decidunt, alteram frugiferam, cujus flores in Linguam Avis officinarum excreſcunt; RAJUS enim contrarium ſibi obſervâſſe videtur. Interim, quam de prioribus ſuſpicionem fovit JUNGIUS, quaſi arbores iſtæ ſero floreſcerent, & vel uno anno florerent, altero fructum ferrent, vel ubi aliquot annos flores tulerunt ſine fructu, deinceps fructus ferrent ſine flore, nec dum phænomenis conſentaneam deprehendere valui.

Hactenus per diverſa plantarum genera florum apices ſtylos-

que ſeminum modò 1. conjunctos, modò ramis 2. disjunctos, quin & 3. plantarum individuis ſeparatos recenſui, nunc ex abſentiâ iſtorum neceſſitatem colligere juvat: Nullum ſcilicet ſine ipſis concipi ſemen, & plantas, ſiquidem apicibus careant, & fructu carere. In primâ plantarum iſtarum claſſe, quæ præter apices petalis etiam gaudet, bina modò ſeligam exempla. Primum ultimo nuper tomo *Ephem. German.* inſertum proſtat in floribus quibusdam compoſitis radiatis diſcoideis, (acceſſit floribus loc. cit. allegatis, quos vide sîs, ex recentiore obſervatione etiam Gnaphalium, Carlina,) in quibus apicum pollen illi vaginæ innaſcitur, quæ ſubjecti fœcundi ſeminis ſtylum medium cingit & transmittit, ubi nihilominus non rarò exteriora quædam radiorum petala partim ſimul & apicibus carent & nullum omninò vel indicium ſeminis oſtendunt, partim ſeminum quidem veſiculas & cortices, ſed vacuos ferunt & inanes, ſine debitâ ipſis ſeminali plantulâ, quibus etiam correſpondet ſtylus non integer, ſed corrugatus, tenuisque nec apicibus debitè perfuſus. Cyanus in claſſe florum fiſtuloſorum confirmat, duplex enim etiam floſculorum genus fert: Sunt primò marginales, qui non ſecus ac radii medios in cyano ſegetum communi circumſtant, queîs infundibuli formam aſſignant, oris aliquantum laciniatis; deſinunt in tenuem & oblongam fiſtulam, in quâ quidem nihil, quod ſtamina, apices ſtylumvè ullo modo referat, inſiſtunt etiam caſſis & inanibus ſeminum veſiculis. Sunt inſuper flores fœcundi medii minores, in quinque lacinias tenues oblongas æqualiter diviſi, è quibus ſtylus per medium tunicæ tubulum globuloſo polline refertum tranſit notabilis, ſeminaque ſubſunt majora, perfecta; Iconem utriusque exhibet MALPIGHIUS. Alterum exemplum manifeſtum utique ſuppetit in Sambuco aquaticâ, arbore bacciferâ, cujus florum umbella candida notabilis. In eâ autem duplices etiam flores, quorum exteriores à mediis prorſus diverſi, uno quinque partito ſolvuntur petalo, ſine ſtylo, ſine apice, ſunt & manent ſteriles, delabuntur nullo unquam ſubſequo ſemine: Baccæ enim ſuc-

ſuccedunt non niſi illis, qui interiora umbellæ occupant, apicihus ut decet præditis. TRAGUS hanc Sambucum vocat Schwelcken: Die Schwelcken haben zu rings umbher groſſe weiſſe Violen / ein jede mit vier Blättlein / die ſeynd umb die andern kleinen weiſſen geſtirnten Blümlein als Hüter oder Wächter geſetzt / die gekrönte Blum zu beſchirmen Cùm prioribus ſolùm petalis exornetur Sambucus Roſea in hortis coli ſolita, notisſima ob globum nivis, cui ſimilis nomen debet in vernaculâ, ſterilis etiam in totum & frugiperda notatur, ab Hortulanis & Botanicis confirmatur. Aliàs plantarum flores apetali imperfecti audiunt. Videntur imperfecti potius dicendi flores ſpecioſis petalis præditi, ſed apicibus vel ſtylo deſtituti, hi enim non illi ſine ſubſequo ſemine delabuntur. Imò, cum flos ad fructum ordinetur, an plantas, non niſi ſola petala ferentes, floruiſſe dicemus?

Non poſſum non hîc excurrere ad pleniorem conſiderationem florum, quibus beneficio culturæ plenitudo conciliari poteſt. Ipſi enim frequenter in hoc ſenſu ſunt imperfecti, petalis quidem gaudent, ſed rarò ferunt ſemen. Nunc verò optarem adeſſe mihi magiſtrum in arte, qualem FERRARIUS laudat Floræ *l. 4. c. 8*; multa exquirerem artem iſtam concernentia, quæ nunc ſufficienter vix expedivero. Notum quippe quanta præſtiterint, quos vel Floræ vel lucri amor egit, ipſe benignior polus & melior terra juvit, asſiduus labor liberalibus ſubſidiis promotus raris floræ ornamentis beavit. Tria huic digresſioni dabo: Primo disquirendum videtur, quinam flores arte pleni, & quâ ratione, fieri posſint vel ſoleant? Circa modos quidem & artes prolixus non ero, cùm de aliis mihi non conſtet, quàm quæ in omnibus Botanicorum libris communiter traduntur. Quod itaque aliâs vel cœli, ſoli, alimentivè varietati, vel caſui aut accidenti cuidam ignoto, à RAJO attribui ſolet, ut ſcil. ſatis ſimplicium florum ſeminibus inter plures iterum ſimplices pauci quidam fiant pleni, id arte quoque hortulani præſtare tentant; Commodam proin ſatio-

ſationem, frequentem tranſlationem, inſitionem, &c. commendant. Obiter hîc noto, quid ego obſervaverim circa notisſimam cautelam, ne ſemina & bulbi, unde pleni flores debeant prodire, alio quàm ante Plenilunium tempore terræ committantur. Cùm enim venerandus mihi Parens, tædia vacillantis eheu! ſubinde valetudinis amœniore florâ lenire ſolitus, tuberoſarum Ranunculi radicum aliquas circa Novilunium, alias ante Plenilunium eidem terræ commiſſas, coleret, nullum ſanè ſuo tempore in florum plenitudine diſcrimen fuit notabile. Jam ad ipſam florum plenorum varietatem, quorum quidem tale Schema collegi; omiſſos Ipſe ſupplebis. Sunt ex arboribus

Pomiferis: *Malus*, *Pyrus*, *Punica*.

Pruniferis: *Prunus*, *Perſica*, *Ceraſus*.

Bacciferis: una polypyrenos umbilicatâ, *Myrtus*, & cujus fructus huic bacca, illi pomum audit, *Roſa*; altera non umbilicata monopyrenos, *Sambucus aquatica*, dipyrenos, *Jasminum*.

Sunt ex Herbis

Flore discoide radiato: *Chryſanthemum*, *Calendula*, *Bellis*, *Matricaria*, *Chamæmelum*, *Ptarmica*, *Tagetes*, *Xeranthemon*.

Gymnopolyſpermis: *Clematitis*, *Anemone*, *Ranunculus*, *Chelidonium minus*, *Hepatica nobilis*, *Fragaria*, *Malva*.

Corniculat: *Pæonia*, *Caltha*, *Aquilegia*, *Conſolida regalis*, *Nigella*.

Tetrapetalis ſiliquoſis: *Cheiri*, *Levcojum*, *Heſperis*; & multicapſulare *Papaver*. Cui ſi nullam habes rationem ſubjunge quadricapſularem *Daturam*, & quinquecapſularem *Altheam*.

Pentapetalis: *Lychnis*, *Caryophyllus*, *Viola*.

Pentapetaloideis: *Paralyſis*, *Auricula urſi*, *Clematis*, *Nerium*, ad arbores à Quibusdam relatum.

Bulboſis: *Lilium*, *Corona Imperialis*, *Fritillaria*, *Tulipa*, *Hyacinthus*, *Levcojum bulboſum*, *Narciſſus*, *Colchicum*, *Cyclamen*, *Polygonatum*.

Econ-

Econtra Flores non fiunt pleni, Arborum quidem reliquarum omnium & quod per ſe patet, illarum, quibus flos apetalos Julus eſt; herbarum autem itidem præter apetalas omnes, & reliquas plurimas, quæ in nominatis claſsibus ſuperſunt ſimplices, inſuper *Papposæ lacteſcentes*, aliàs flore naturâ pleno dictæ; *capitatæ* ſeu flore fiſtuloſo; *corymbiferæ* fl. nudo ſive diſcoide non radiato; *Stellatæ*, *Umbelliferæ*; *Aſperifoliæ*; *Verticillatæ*; *Gymnomonoſpermæ*; *Monopetalæ*; *Tetrapetalæ ſiliculoſæ*; *Papilionaceæ*; *Bacciferæ*; *Pomiferæ*. Hæ ſunt integræ claſſes, in quibus nullos plenos flores hactenus notavi; In catalogis quidem reperi citatos flores quosdam, e. g. *Cichorei*, *Convolvuli*, *Antirrhini*, &c. dictos Roſeos, ſed de quorum verâ plenitudine mihi nondum plenè conſtat: In monopetalis exceptionem facit *Datura*. Qui in claſſe florum fiſtuloſorum duplex eorum genus oſtendunt, pleni poterunt fieri & dici, ſiquidem marginales multiplicentur & radio ita pleno medios cingant, vel ipſis excluſis ſpatium ſoli occupent: Sunt autem pauci, & forte præter *cyanos* nulli, quos cùm plenos citari videam, eos ita conſtitutos reputo. Huc ſpectant, quæ de *jaceâ* nigrâ pratenſi RAJUS: *Habetur in occidentali Angliæ parte hujus varietas flore jaceæ majoris, hoc eſt, cum limbo ſeu circulo floſculorum majorum ſeu longiorum in margine, cyani in modum; hæcque non minus frequens quàm vulgaris ibi oritur. Hujus varietatis aliam varietatem obſervavit nobisque oſtendit Thomas Williſellus cum flore pleno, cujus totus componitur ex ejusmodi floſculis, qui in margine illius ſunt, nimirum oblongis & ſpecioſis.* Floribus plenis aſsociari merentur dicti proliferi, nam & hi modò plenitudinem quandam exprimunt, ut *Primulæ veris* flores gemini, trigemini, modò iidem pleni ſimul ſunt & proliferi, ut *Ranunculus* tuberoſus flavus: Aliàs compoſitis floribus ad margines ſoboles adnaſcuntur, *Scabioſæ*, *Bellidi*, *Calendulæ*, ſive alios pariunt, in ambitu matre minores. Aliud ab his & diſtinctum quid dicunt plantæ multifloræ, quarum flores non mutati, niſi in numero, extraordinariè pediculum exornant, tale *lilium cruentum polyphyllum Eph. Germ. d.3. A.1. O. 112*,

Hh fuis-

fuiſſe figura teſtatur. Patet ergò 1. plenitudinis non eſſe eandem ubique rationem: Flores enim citati partim pleni dicuntur, à multiplicatis petalis, e. g. *ranunculus*, partim à flore flori innato, ut *datura*, partim à floſculis marginalibus multiplicatis & mediorum ſpatium occupantibus, ut *calendula*. 2 Non modò unam claſſem præ alterâ eſſe aptiorem cujus flores fiant pleni, quod patet in bulboſis, quarũ elegantes flores majorem partem habentur pleni, (anne quod ipſis maximè ſtuduerint Florum amaſii?) ſed & in eâdem claſſe quaſdam paucas, imò fortè unicam fieri poſſe plenam, reliquis affinibus & cognatis usque in ſimplicitate manentibus. 3. Flores monopetalos difformes minus fieri plenos, magis autem & facilius reliquos, & quibus ſua diſtincta ſunt petala. THEOPHRASTUS *hiſt 1. cap. 21.* de arborum floribus: *Nulla eſt inter urbanas alia flore vel bicolore vel pleno, ſed ſi quæ ſit ſylveſtris profectò eſt. At in annuorum ex majori penè parte tales exeunt & bicolores & pleni.* Exprimit plenos tum per τὰ ἀνθώδη, tum διανθῆ, priores videntur ipſi eſſe flores hodiè dicti compoſiti, tribuit enim ſingulis ipſorum ſeminibus ſingulos flores annexos, ut in *cnico*; poſteriores potius arte pleni erunt, quos deſcribit, tanquam in flore alterum florem inſidentem medium gerentes, quales *roſæ lilio*, *violæ* ſunt. Quod autem ſpectat utramq; citatam ipſius differentiam quoad plantas annuas & ſylveſtres, quid ipſæ ad plenitudinem conferant, non liquet. Perennium & annuarum flores habemus plenos, exempla id teſtantur *Caryophylli* & *papaveris*, &c. ſylveſtre autem quid dicendum ſit vix conſtat, quod nobis ſativum, aliis ſylveſtre eſt, imò ſativas plantas omnes olim fuiſſe feras, PLATONI viſum citat & examinat SCALIGER. Nunc ad alterum punctum, quo pleni flores conſiderandi veniunt partim ut fœcundi, partim ut infœcundi & ſteriles. Fœcunda quidem ſemina poſt plenos flores innoteſcunt exemplo *papaveris* &c. *Fraga* talium florum ipſe comedi, (quorum ſemina eandem cum aliis rationem habere videbantur) RAJUS Caryophyllorum, matricariæ, chamæmeli fertilium meminit, HERMANNUS Tulipæ ſuæ ſerotinæ

tinæ ramoſæ maximæ flore pleno flavo vario, cui æſtate ferventiore ſuccedat aliquando capitulum oblongum trigonum, cæteris tulipis majus & robuſtius, quod dehiſcens in tribus loculis ſex ſeminum ſeries oſtendat more congenerum. Infœcundi ſine ſpe ſeminis evaneſcentes ſunt notisſimi flores pleni *Ranunculi* tuberoſi, *Clematitis*, *violæ*, *cheiri*, *levcoii*, *heſper.* &c. & ipſi qui fœcundi fiunt, tales non ſemper, ſed nonnunquam modò eſſe ſolent. Sub hâc florum plenitudine deficiunt ſemina modò prorſus & in totũ, ut ne indicium quidem ullum ſeminis ſeminalisvè vaſculi compareat, modò veſiculæ quidem exoriuntur futura ſeminum conditoria, ſed manent vacua & inania, plantulam ſeminalem non ſuſcipiunt. Deſiderantur unà modò ſtaminum apices, modò etiam ſtylus, utpote quibus aliàs competentem locum ſola petala hîc copioſiora jam præoccuparunt: In quibus autem floribus petalorum gyri & multiplicatio apicibus & ſtylo locum relinquunt, iis fœcunda etiam ſemina ſuccedere obſervantur. Hinc & flores plenos nonnunquam videas, quorum ſtamina petalis adnaſcuntur, aut apices non ſtaminibus, ſed petalis inſident, quod in papavere aliquoties notavi: Ita & MALPIGHIUS in *malvâ arboreâ* plenâ ſtylos & petala confundi refert, ut in ſummo tubam promant, infra ſemen vel veſiculam (inanem forte nonnunquam) fulciant; Similiter abſentiam ſtyli apicumque in *hyacintho*, *ranunculo*, *primulâ veris* obſervat, & loco ſtaminum luteam quandam maculam. Sæpius flores *pæoniæ* magnitudine alias præcellentes miratus fui in hirſutis & crasſis illis ſiliquis ſive cornubus copiam exiguorum granulorum vel rudimentorum ſeminalium non perducere ad maturitatem; toties enim imperfecta manſiſſe & germine deſtituta comperi. *Balauſtia* non minùs ſpecioſa copiam quoque ſuorum granorum diſſecanti exhibent, ordinato in ſuis loculis ſitu, ſtylumque conſpicuum, ſed cadunt ſine ullâ ſpe prolis è ſemine obtinendæ. Uterque iſte flos apicum aurâ caret, poſterior tamen magis quàm prior, cui nonnunquam quidem immiſcentur apices, ſed ceu in omnibus plenis utplurimùm obtinet, pau-

ci,non tot ac in ſimplicibus. In diſcoideis autem,quorum marginales flores ſtylo apicum vagina cincto gaudent,ordinariè etiam ſperare licet fœcunda ſemina, ſecus in iis, quos carere partibus illis jam prius dictum. Et hâc occaſione tertiò disquiri meretur,an illa ex florum plenorum ſeminibus fœcundi plenos iterum proferant flores? Hoc attendi vult quàm maximè RAJUS, & quod ſatione non propagatur, pro Naturæ laſcivientis luſu habet, hinc etiam plenitudinem pro eſſentiali differentiâ non agnoſcit, vel hâc ipsâ de causâ, quod hæ varietates ſeminio non propagentur; ita quidem de plantis in genere, in ſpeciali autem parte Ipſe exempla ſuppeditat, quæ his repugnare videntur: *Calendulæ* maximæ multifloræ ſemen ſpeciem ſuam plerumque propagare, neque, quantum expertus ſit, calendulæ minoris ſemen unquam producere tradit; Idem ex PARKINSONO de *aquilegiâ* perenni vireſcente habet,cujus quoque ſemen ſatum ſpeciem ſuam conſtanter propaget, nec diverſi generis plantas producat. Notabile eſt, quod ex CLUSIO de *Pæonia* flore pleno rubro affert; Hujus fœtitati non obſtiterat plenitudo,citatur enim ex ipſius ſeminibus prodiiſſe tres diverſas plantas,caule,foliis,radice matrem plenè referentes, quarum tamen una tertio anno florem dedit, matris quidem flori concolorem, ſed ſimplici ſex foliorum ſerie conſtantem; altera autem byzantinæ florem imitantem, h. e. ſimplicem *octo* foliorum ſeriem habentem, colorem tamen magis rubrum & ſaturum, & ad nigredinem quodammodò tendentem: Tertia florem tulit *plenum* matri concolorem,vel etiam majorem,& ſingulis annis cornicula ſive nuces,quarum *aliquæ* ſemine prægnantes fuérunt. Eandem inſtantiam ipſe expertus fui in ſemine *Xeranthemi*, quod à pleno flore collectum copiam emiſit fiorum ſimplicium, unicâ plantâ reliquarum multitudini permixta, cujus itidem pleni flores. Non ita *Delphinium*, quod non ſemel omnes ex pleni floris ſeminibus flores reddidit. Quemadmodum ergò certior conſervatur plenitudo in iis, quæ per avulſionem & radices propagari poſſunt, ut exemplo *Caryophyllo-*

rum,

rum, Ranunculorum patet, ita incertus magis eſt eventus ſeminum, ea modo ad ſimplicitatem redeunt, modò plenitudinem ſervant. Videtur quidem non poſſe aliquid accedere ſemini ſub flore pleno; Quid enim ſemini Xeranthemi, quod aliàs margini ſeu radio nullum ſubeſt, ſed ſolùm diſco, cum multiplicatis iſtis floſculis? Imò videtur potiùs ſemini aliquid decedere, ſcil. id omne, quod in petala extraordinariè impenditur; adde, quòd plenitudo ſemper ſemini aliquali impedimento ſit. Nihilominus notabile eſt, quòd etiam *fiſtuloſi*, qui naturaliter in *bellide, tagete* plani ſunt, flores per ſemina propagentur, quòd GERARDO teſte *Calendulæ* ſemina, quæ in diſco marginalia ſive majora ſunt, ſata plantas cum flore ſimplici plerumque dent; media minora, matri congeneres edant. Id utique in omnibus floribus compoſitis duplici florum genere ornatis explorari meretur, an & qualis prodeat differentia è ſeminibus radii fœcundi & diſci medii.

In ſecundâ plantarum claſſe, quibus flores à fructu in eâdem modò plantâ ſemoti ſunt, binis quoque mihi exemplis patuit, quàm ægrè ferant plantæ apicum defectum. Cùm enim primos Ricini globos antequam apices panderent, detraxiſſem, & novorum proventui cautè occurriſſem, ſalvis quæ aderant ſeminum principiis cum ſuo thyrſo, nusquam perfectum ſemen tricoccum obtinui, ſed vacuas veſiculas hæſiſſe, tandem exhauſtas & corrugatas periiſſe conſpexi. Similiter comâ Frumenti Turcici jamjam pandenda dextrè reſectâ, binæ poſtmodùm ſpicæ omni prorſus grano deſtitutæ comparuerunt, utut inanium veſicularum maximus eſſet numerus.

Pro tertiâ plantarum claſſe, quibus flores à fructu ſ. ſemine ipſis individuis ſunt remoti, exempla ſuppeditant Morus & Mercurialis, de quibus cùm olim prolixius egerim in *Ephemer. Dec. 2. A. 9. & 10.* quapropter ea hic non repetam. Sc. paucis, quemadmodum Morus, cui nulla in viciniâ fuerat ſodalis florida, baccarum quidem ferax, plantulam tamen ſeminalem ne unicam concepiſſe viſa fuit, ita pariter mercurialis teſticulata è conſortio flo-

rentium prorſus ſubtracta, copioſa quidem ſed infœcunda omnia tulit ſemina, unde nulla ſpes novæ plantæ. Spinachia dein eandem culturam experta, ſimili ſuâ ſterilitate omnimodâ, vacuisque vaſculis, priora in totum confirmavit.

Hæc ſunt, quæ præmitti debebant, fundata in Hiſtoriâ plantarum & obſervationibus: Nunc tentandum, quid pro Sexu earum colligi inde & erui poſſit. Tranſeo igitur ad Animale regnum, in quo Sexualem differentiam uno omnes ore fatentur, ex membrorum quippe munerumque tum in mare tum in fœmina diverſitate facile agnoſcendam. Conſtat autem in hoc regno requiri ad generationem Semen Maſculinum (ſeponantur hîc, ſi quæ Alicui ſuperſunt, difficultates de generatione æquivocâ) cui elaborando & aſſervando certæ deſtinantur partes, quæ ſuo tempore liquorem debitè præparatum & ſpirituoſum excernunt, dum ex alterâ parte fœminarum Uterus cum ovariis, dictis quondam teſticulis, concipiendo hinc & perficiendo fœtui deſtinatur: In vegetabili regno (ſepoſitis ſponte naſci creditis, miſſis item nunc aliis propagandi modis particularibus & ſecundariis per gemmas arborum, bulbos herbarum, &c.) generatio per ſemen, naturæ perfectiſſimæ munus, univerſale conſervandæ ſpeciei medium, nulla peragitur, niſi præcedanei florum apices prius ipſam plantam debitè præparaverint. Æquum ergò omninò videtur, his ipſis Apicibus aſſignare nobilius nomen & munus Partium Genitalium maſculini ſexûs, ut capſulæ eorum ſint vaſcula & conceptacula, in quibus ſemen ipſum, pulvis ille, ſubtiliſſima plantæ portio ſecernitur, colligitur & hinc poſtmodum diſpenſatur; devenit enim ad ſummitatem plantæ, cùm jam percolata ſatis & attenuata fuit, hinc ſecreta & efficax maximè facta: Hos uti apices ſeminis maſculi officinam, ita ſeminale vaſculum cum ſuâ plumulâ ſ. ſtylo partes genitales fœminino ſexui competentes Plantæ pariter exhibent; Id enim novello fœtui, quem concipit & cuſtodit, maternam utique præſtat opem. Nihil hîc petalis relinquitur, niſi quod communiter ipſis aſſignari ſolet officium, depura-

tum

tum ſcil. reddere ſuccum, tueri tenella ſeminalia vaſcula, donec indurata magis contra injurias externas ipſis non indigeant amplius, tunc enim munere ſuo defuncta cadunt; Similem ipſa apicibus præſtare uſum, colligi poterit ex proportione, quæ ipſis intercedit, annotatâ. Annuæ ſunt iſtæ partes utrinque generationi inſervientes, & nova quotannis ſpermatica organa producere cogitur natura pro novis gignendis fœtibus; Non enim idem uterus perpetuo viget, notante MALPIGHIO, ſed ſingulus quique ramus anno, quo luce fruitur, propriis gaudet ſpermaticis organis & fœcundus brevi viget: reliquum verò ſuæ vitæ infœcundum tranſigitur; ut quæri poſſit cum THEOPHRASTO h. *l. 4. c. 14.* an eadem, an diverſa dici debeat planta?

Quo tempore animalium mares ſemine turgere incipiunt, fœmellæ ad conceptionem aptæ fiunt, utrinque ad unionem feruntur, & ſub eâ copulâ, tam arctâ, ut una caro dicantur, maſculino ſemine fœmina perfunditur: In plantis ſimultanei pariter ſunt motus apicum fœcundantium & ſtyli fœcundandi, ſimul hæc manifeſtantur, ſibique proximè invicem in primâ citatarum claſſe adſtant, in copulâ iſtâ hærent ad floris uſque delapſum. Notabilis valdè hæc unio viſa fuit STAGIRITÆ, qui ſpeculatione ipſius librum primum de generatione animalium clauſit; Plantis enim ſimilia reddi animalia vult & inſeparata, cùm generant, idque naturam eorum niti, ut unum fiat, unde & quædam diu in complexu hærere obſervat: *Profectò*, inquit, *animalia tanquam plantæ diviſa eſſe videntur, perinde quaſi illas quoque poſtquam ſemen attulerunt, diſſolvas & ſepares in ſexum inſitum maris & fœminæ.* Hæcque omnia benè à naturâ ordinata Ipſi dicuntur, plantis enim aliud munus præter generationem non eſſe, quæ cum coitu maris & fœminæ peragatur, utrumque mixtum fuiſſe; Animalia verò, quibus ultra vitam ſenſus etiam eſt & ſexus diſcretus, cùm fungi munere viventis velint, tunc coire & miſceri, & quaſi plantas effici. Idem libro de plantis ſic proponitur: *Si igitur natura maſculum cum fæminâ miſcuit, rectè proceſſit; quia non invenimus functionem*

ctionem in plantis aliam præter fructuum generationem, neque animal ſeparatum eſt à fœmella niſi quibus horis non congreditur.

In regno animali Hermaphroditi utriuſque ſexûs partibus gaudent, iique non ſolùm extra & præter naturæ ordinem in hâc vel illâ ſpecie monſtroſi, ſed & in quibusdam ordinarii & ipſis proprii. *Cochlea*, ut SWAMMERDAMMIUS ſcribit, *utriusque ſexûs particeps, penem albidum craſſum, vulvamque in collo circumgeſtat. Sic alterno incurſu conjunguntur, ut tanquam duarum ſerrarum dentes videantur inter ſe convenire*, cum *Solino* de Teſtaceis, *viciſſim agunt & patiuntur, immittunt ſimul & recipiunt*, cum RAJO & LISTERO Abbas *Marſilius*, confirmatus obſervationibus Cur. D. HARDERI. Sic forte & oſtracoderma reliqua androgyna ſunt, *principium maris intra ſe mixtum habent*, ut loquitur ARISTOTELES, qui de piſcibus etiam quibusdam ratione ſexûs diſtincti ambigit, quod omnes gravidæ capiantur. *h.l.6.c.13.d gen. an.l.3.c.11.* Sed hæc curæ ſint Anatomiæ comparatæ utiliſſimæ cultoribus. Major tamen animalium numerus eſt, in quibus evidens magis ſexuale diſcrimen, ſcilicet mas & fœmina diſtincta individua, ſub eâdem ſpecie, ejusdem quoque matris proles, ubi ad generationem deveniunt, hæc in ſe ipsâ generat, ille in alio: In vegetabili regno major plantarum pars, ſcil. omnes petalis apicibusque præditæ, apetalæ item, quibus tamen apices junguntur cum principiis fructuum, pollent Sexu utroque, ſunt Hermaphroditi, ſe ipſas, quod hîc omninò ſingulare, imprægnant, ex ſe ipſis quod conceperunt pariunt; Reliquæ floriferæ & proliferæ plantæ maſculi & fœmellæ partibus ſeparatis gaudent, quidnî & illorum munere fungentur, debitisque ſibi gaudebunt nominibus & titulis? ordinantur ad ſe invicem ut vir & mulier, nec aliter etiam diſtinguentur; ſexu quidem non ob ſimilitudinem, analogiam, metaphoram, qualem concedere ſolent communiter, duntaxat aliquam, ſed reverà & propriè loquendo differentes. Equidem, cùm tantus hermaphroditorum in hoc regno ſit numerus, paucæ illæ, quibus flos & fructus ipſis individuis diſtant, vel eam maximè

ob

ob cauſam animalibus relictæ ſimiles videri poſſint, ut marem & fœminam ſeparatim oſtenderent, & hoc ipſo indicio ſexus mixtus, aliàs multo obſcurior futurus, facilius agnoſceretur: Ipſæ ſanè de conſimili per omnes plantas ratione præcipuè monuiſſe videntur.

Prima animalis lineamenta in conceptu poſt fœcundationem comparent, & in Ovo incubationem præcedunt rudimenta fœtus: In Plantis novus fœtus, ſeminalis plantula, poſt defloreſcentiam emergit in ſuis veſiculis, & ſemen ſuo tempore maturum ad inſtar Conceptûs in terram ex hiante vaſculo projectum huic utero foliola ſua infert, foveri, nutriri & augeri in eo deſiderat. Hunc conceptum agnovit iterum ARISTOTELES, (hunc aliquoties citari, nolim Te ægrè ferre, meretur in doctrinâ de generatione citari) poſtquam enim ſollicitè diſtinxiſſet ſemen plantarum & animalium, maribus γονὴν genituram non σπέρμα aſſignâſſet, utrumque definit d. gen. l. 1. c. 18. Illam, *quod à generante proveniens cauſa ſit, quæ prima obtinet principium generationis, videlicet in iis, quæ coire natura voluit*; Hoc, *quod ex ambobus, mare & fœminâ coeuntibus originem trahit*; & tale ſemen plantarum omnium eſſe dicit, *velut id, quod ex mare & fœminâ primùm miſcetur, quaſi conceptus quidam aut animal.* Sanè paſſim plantis ſexum non tàm negat, quàm mixtum vocat, unde ita aliquoties: *Quibus non eſt mas à fœminâ ſeparatus.* Laudat inſuper hoc nomine Empedoclem, quod plantis oviparum ortum aſſignaverit, ſemen ipſe ovo comparat, utrumque titulo Conceptûs donat, in illo principium plantæ, hoc fœtûs locat. Non aliter THEOPHRASTUS de Cauſ. *l. 1. c. 7. Non ineptè Empedocles, arbores ova ſolent excelſis gignere ramis*, inquit. *Enimverò natura ſeminum ovis proxima eſt. Habet enim unumquodque alimentum in ſe, quo & durare temporis aliquantum valet, nec quemadmodum animalium ſemen, exceptis quæ ova pariunt, protinus perit, ubi ſeorſim fuerit; hæc enim alimento fulcita munitaque ad ſuum conſervandum principium durare plus valent.* Mirum ſiquidem uterque ovi pullum & ſeminis plantam non viderit.

Modus explicandi negotium generationis in animalibus non omnibus probatur idem. Sunt, qui ex fœmellarum ovariis veſiculas accerſunt, maſculinâ aurâ actuatas, ut quæ continebantur ſtamina evolvantur, explicentur, ſicque in conceptu ab ovario per Tubas in Uterum tenellus fœtus cum ſuis membranis & neceſſariâ primi alimenti portione deferatur, ad plenam ibi maturitatem nutriendus & augendus. Sunt alii, qui non ex fœminâ, ſed ex ſemine maris fœtuum primordia deducunt, ſ. viſa in ipſo animalcula in uterum cum liquore projici, vermiculos iſtos ovis inſinuari, adeoque generationem ex verme potiùs quam ovo dicendam eſſe prætendunt. Non noſtrum, tantas componere lites. Interim, quod in animali regno, ubi Sexus à nemine in dubium vocatur, determinari nondum potuit, quis in vegetabili modò expediri requireret, ubi non tàm de modo generationis, quàm de ſimpliciter probandâ ſexuali differentiâ, hâc quidem vice, præcisè ſermo eſt. Enimverò, optandum utique pro expediendâ felicius difficultate, ut quos plusquàm lynceo viſu inſtruxit Optica, docerent quid globuli apicum contineant, quouſque in partes fœmellarum penetrent, integrine ad locum concipiendi ſeminis, quidve ſi rumpantur, fundant? Imò, nullum ne vel in ipſo globuloſo polline vel in veſiculis plantæ connatis, i. e. geniturâ impregnante aut ovis nondum impregnatis, germen valeant detegere. Patet tamen, pro diverſitate ſententiarum, juxta Hos fructum à maſculo prodire, & à fœminâ tanquam in agro ſolùm foveri atque ali; juxta Illos econtrà, genituram maris non in uterum, ut plantæ ſemen in terram, ſpargi, ſed comparari debere maris liquorem & plantæ apices, animalis conceptum & vegetabilis ſemen.

Ne quid deſit pro continuandâ ulterius animalium & plantarum collatione, cùm artificioſiſſima illorum corpora nec maris nec fœminæ opera, ſed in primævis punctis ſeminalibus à Deo creata & formata, poſtmodùm evoluta ſolùm & aucta, reputentur à viris Acutiſſimis, notabile omninò eſt, idem de plantarum corpore organico latum eſſe judicium, tum ab iis, quibus primo fœmel-

fœmellæ ovario omnium animalium illius ſpeciei rudimenta placuit includere, tum quibus Elementa ad ipſorum diſperſionem videbantur apta: Quod quidem vel ideò huc ſpectat, quoniam mas in utraque ſententiâ nil poteſt, quod non æquè maſculino plantarum principio adſcribi poſſit. Cùm veterum, quos hîc cito, monumenta illuſtrari poſſint hâc recentioris ævi ſententiâ, imò ſexus ad generationem unicè referatur, non incongruum fore reputavi, ſiquidem declamationem in Actu Magiſteriali ante annum habitam, omiſſis tamen quæ huc non ſpectare videbantur, appendicis loco literis hiſce ſubjungerem. Lege ſi placet & judica, ſed rhetorum ornamenta à me non poſtula.

THEOPHRASTUS occaſione Palmæ pulvere alterius conſpergendæ, *huic quodammodo ſimile*, inquit, *d. cauſ.* l. 2. c. 13. *in piſcium quoque genere evenit, cùm mas editis ovis vitale ſuum ſemen aſpergit.* Paſſim quoque phænomeni hujus meminit ipſius Præceptor, *Piſces*, ait, *ova aſpergunt, ac quemadmodum ajunt, magnam partem ovorum mares devorant: alia autem pereunt in aquâ. Quæcunque autem depoſuerint in locis opportunis, ea ſuperſunt. Etenim ſi omnia incolumia forent, nimia cujuſcunque generis eſſet copia. Quin ne horum quidem quodlibet genitale eſt, ſed quæ irrorârit geniturâ ſuâ mas. Etenim dum pariunt, ſequens mas aſpergit ova ſemine ſuo. Quæ igitur aſperſa fuerint, ex iis omnibus piſciculi generantur; aliis alia ſors eſt.* h. anim. l. 6. §. 141. Item §. 156. 163. *Quæ ova non attigerit ſemen, inutile fit ovum, ineptumque ad generationem.* Porro: *Singulas fœminas ſæpenumero terni quaternivè deni ſequuntur mares: ovumque quod eâ abſcedente omiſſum fuerit aſſecuti aſpergunt ſemine. Verùm quia cedendo parit fœmina, plurima intereunt, quæ correpta aquæ fluxu diſſipantur.* Attritu umbilicorum excitari fœminam ad ova edenda, marem ad projiciendum ſemen, notat *Scaliger:* HARVEJUS eandem lactis ſ. ſeminis marium profuſionem ſuper ova fœminarum recens edita confirmat: LEEVENHOEK ranarum congreſſum & inſiliendi morem eâ de causâ ſuſcipi prætendit, ut fœmellâ emittente ſua ovula, mas tum ſimul in

ea deponat ſemen ſuum, quoniam nullo commodiori tempore id ovulis aſpergere valeret; quo modo & omne genus piſcium, membro maſculo carens, ſemen ſuum intra fœmellarum ova ejaculari ſoleat; Alium tamen, eumque ſingularem ranarum compreſſionis uſum, uti & congreſſum ad inſtar avium, notat D. RIVINUS *Act. Lipſ. An. 87. M. Majo.* Num lac illud maſculinum partibus ſuis ſubtiliſſimis ovulorum tunicas penetret, fœtumque præconditum excitet, an verò animalcula intrent, ſedemque ibi figant, diſquirerem, niſi modum fœcundandi non in piſcibus modò negotium faceſſere, ſed per omnes conceptionis animalium differentias ſe extendere deprehenderem; Sive maris aura per tubas, per vaſa ſanguinea, per poros uteri ad ovarium delata veſiculas fœcundare, ſ. ovulum per maſculinum miaſma muco inhærens devolvi & actuari dicatur, ſumma ubique penetrandi facultas ſupponitur. Sanè ARISTOTELES citatis piſcium phænomenis hoc epiphonema ſubjungit: *Quaſi non ad quantitatem mas conferat, ſed ad qualitatem:* Et cum ipſo maſculinum ſemen non tam materialiter, quàm efficienter concurrere, plures prætendunt. *In nullo animalium genere quod ſciam,* ſcribit RAJUS, *genitura ovarium intrat, at ne uterum quidem ipſum in plerisque, ſed ſolus halitus, & efflavia ſubtilia ſufficiunt ad ova fœcundanda, & embryonem intus concluſum vivificandum.* Hæc eò prolixius, quò magis neceſſaria pro firmandâ ſexuali plantarum fœcundatione. Cùm floridi apices omnes, quemcunque etiam reſpectum habeant ad ſtylos, conveniant in aſperſione globuloſi pollinis ſuper ipſos, natura autem ſuperficiarium geniturae & ovi contactum ſufficientem pro fœcundatione hujus evidenti modò exemplo demonſtraverit, quis vitio verteret, vagum floris pollinem deſtinari ſeminum veſiculis fœcundandis. Communis iterum utrique regno difficultas eſt: Quicquid pro illuſtrando contactu ovorum & lactis à piſcibus temere in mediis undis effuſi adduci poterit, faciet omninò ad confirmandam quoque efficaciam geniturae florum, ovulis vegetabilibus affuſæ. Si piſcium ovis unda virus ſuum advehit, vel ad mini-

minimum vim ejus non omnem deſtruit, quidnî fluidum aereum motu ſuo ſupplere coitum, & ventus ſitibundas tubas deſiderato imbre complere poterit. Equidem copia iſta, imò abundantia farinacei pollinis, quæ adeò luxuriat in plantis quibuſdam, non fruſtra nec oſtentationis gratiâ adeſſe rectè creditur, ſed compenſatur illâ, quod ob diſtantiam de maſculinâ aurâ neceſſariò fruſtrâ diſpergi, & hinc fœmellis decedere debet. Ad captandam itaque hanc auram ſ. pollinem ipſarum tubæ uterinæ adeò conſpirant, extollunt ſe extra ſeminum involucra, breves utplurimum, ſed in frumento turcico, cujus grana adeò occultantur, longiſſimæ, ut ne ulla apicum rore privetur. Cùm verò julorum pulvis uteros diſtantes fœcundet, quæri poſſet, an aliorum apicum vis ordinetur unicè ad ſtylum, quo cum iisdem petalis includuntur, an verò ſe extendat etiam ad ſtylum vicini floris?

Ova piſcium maris ſemine non irrorata ad generationem inutilia, & ex iis piſciculos non enaſci ARISTOTELES docuit; gallinas item aliasque aves ſine coitu nonnunquam ova ponere, vitello etiam & albumine plena, tamen irrita, principio fœtûs deſtituta, quibus utut incubatis pullus non enaſcitur, Idem confitetur, experientiâ confirmatus. Cùm omnium animalium fœmellis, homini etiam, ſua connaſcantur ovula, an ſimile experiantur fatum, aliàs videndum; Interim iſtorum ovulorum à piſcibus editorum magnam copiam perire, (alioqui repletum iri maria & ſtagna, cùm ſinguli uteri innumerabilia concipiant, metuit PLINIUS) cicatriculamque irritis ovis gallinaceis ita ut fœcundis diſpoſitam eſſe, certum eſt. Cauſa in genere maſculini ſeminis defectus eſt, ſeu inſenſibile ſeminale quod in ovulo corpuſculum debuiſſet ſuſcitare. Quid vetat ovis hiſce fatuis & ſterilibus comparare fatuas item & ſteriles plantarum veſiculas, maſculino apicum principio irroratas? Licuit hoc jam olim THEOPHRASTO, qui *hiſtor. l. 1. cap. 18. infœcunda ſemina plantarum, velut ova ὑπηνέμια, deſtituta humido & calido, ovis fœcundis innato*, profitetur. Calore utique & humore indigent univerſa ſemina, non autem in ipſis

conſiſtit vis genitalis: germinis defectus irrita facit ſemina. Quàm verò conveniant vel diſcrepent ova *urina* & ſine gallo cooperante à ſolis fœmellis poſita, modò tranſeat. Hoc certum eſt, antetecedere veſicularum ſeminalium exortum, ſive comparere ovula antequam per diſperſam maſculinam auram actuentur; imò ſine ipsâ ovi cortices & involucra, pericarpium item, ut in moris pulpa edulis, creſcunt & perficiuntur, verùm non ad fœtum, planta ſeminalis pro fœcundo ſemine abſolutè neceſſaria non innaſcitur, deerat enim, quod à mare debebat accedere, cujus tamen tanta copia alibi fruſtrà diſpergitur; Ἄγονα ova, non γόνιμα, fœcunda: SCALIGER prætendit γόνιμον ovum genitabile potius quàm fœcundum debere vocari: *Non enim fert, ſed fertur: fitque piſcis aut avis: ut non fert piſcem aut avem:* comment. in *l. 6. hiſtor. an.* Verùm, utique quia ova irrita non ferunt piſcem aut avem, ſcil. fœtûs principium, corpuſculum ſive ſemen organicum, ideò præcisè ſunt ad generationem inepta; De cætero utraque ſœcunda & infœcunda æquè feruntur & ponuntur à matre, at piſcem & avem in conceptu factum fuiſſe oportuit. Quid ovum vegetabile fiat, quidvè ferat, vice meâ exponat modò ROLFINCIUS: *Affirmamus arborem, fruticem & herbam generare, cùm producit ſemen: Non autem arborem fruticem, herbamvè generari, cùm pullulat è ſemine, ſed tum generatum, quod erat imperfectum, perfici.* Quibus ſi addiderimus, quæ Ipſe SCALIGER *in comm. Theophr. lib. 1. cap. 7.* habet, patebit, quàm in hoc negotio hæſerit, unicè ob detectam non ſeminalem plantulam: *Non igitur,* ſcribit, *fructum ſemen eſſe aut ovum puto, quale ſemen eſt animalis, ſed fœtum integrum dearticulatum. Perfectum, inquam, cæteris omnibus, niſi dearticulatione. Hæc extra vulgi opinionem, rudiora ingenia non admiſſura, ſcio.*

Ova iſta volucrum infœcunda, nec maris vim experta, ſolent vocari ſubventanea, hypenemia, Zephyria, eò quòd, ut ARISTOTELES rationem dat, aves verno tempore flatus

fœ-

fœcundos ex Favonio recipere videantur. Eò reſpexit quoque VIRGILIUS *Georg. l.1.* equarum furorem deſcribens:

Continuoque avidis ubi ſubdita flamma medullis,
(Vere magis: quia redit calor oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leves auras, & ſæpe ſine ullis.
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu.)
Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles
Diffugiunt:

Poſſent iſthæc verba conceptioni plantarum melius applicari, quàm animalium; hæc enim utut vento moveri ſive excitari concedantur, fœtum tamen inde non concipiunt: At illæ plus utique vento debent, ſiquidem vere tubæ fœminarum, totidem quaſi ova, verſa in Zephyrum ſtant exceptantque leves auras, ſparſamque in eis florum farinam, & ſine aliis conjugiis vento tali gravidæ (mirabile dictu) concipiunt. Fœcundum ita eſſet, quod hic ſub vento ſive aere, principio maſculino infecto, à plantâ concipitur ovum, nec amplius æquipollerent ſubventaneum & ſterile. Favonii etiam energiam deprædicat, ſed & nimis extollit PLINIUS *lib. 10. cap. 25.* ubi annuum naturæ ordinem in generatione arborum talem recenſet; Conceptus Ipſi in germine, partus in flore, educatio in pomo: *Primus*, inquit, *conceptus, flare incipiente Favonio, hoc enim maritantur vireſcentia ex terrâ, quo etiam equæ in Hiſpaniâ. Hic eſt genitalis ſpiritus mundi, à fovendo dictus, &c. ver inchoans. Catulitionem ruſtici vocant, geſtiente naturâ ſemina accipere, eoque animam inferente omnibus ſatis.* Quæ utique non ſine grano ſalis accipienda; quis enim juxta antiquam fabulam equarum Hiſpanicarum vento gravidarum poſſit eſſe fœtus, niſi fatuus, Zephyrius, mola?

Denique in univerſo animalium ſexu diſtinctorum regno conſtans & perpetua lex viget, ad novi ſub eâdem ſpecie individui productionem utrumque, marem & fœminam adeò neceſſariò requiri, ut ſi vel unum vel alterum deſit, ſi partes genitales læſæ, imbecillæ, aut alio præternatutali modo affectæ ſint,

maxi-

maximè in caſtratis tam maribus quàm fœmellis, generatio quoque fieri poſſit nulla, fruſtranea ſit caſtratorum copula: Non minus in vegetabili, ſi vel maris apices vel fœminæ ſtyli, maximè ſi utrumque deficiat, nulla proles ſequitur, ſive caſſæ maneant veſiculæ, in quibus condi debuiſſet, ſive planè nullum vel ſeminis vel vaſculi ſeminalis ſe prodat indicium; adeò graviter luit unum alterius abſentiam. Facit ergò etiam pro ſexu plantarum expoſita Florum plenitudo, & ipſam non raro conſequens ſterilitas. Cauſa hujus eſt defectus vel ſtyli vel apicum, uteri vel genituræ; Deficiunt iſta ob petalorum multitudinem parte quâdam vel obſtructâ, vel conſumptâ, vel obrutâ forte ſucci in petala derivandi copiâ; ceu fiſtularum faſciculos in folia elongari & abſumi, ut nullæ ligneæ fibræ uteri ſtructuræ & colliquamenti veſiculæ relinquantur, ex MALPIGHIO RAJUS tradit. Cur hoc contingat in paucis, in dictis præciſè, non aliis, Tuæ aliorumque ſpeculationi commendo; Item, alteram non minus gravem quæſtionem: *Quid illa copioſa & extraordinaria petala formare ſoleat?* Qui principium formationis volunt Naturam, animamvè plantarum, eam hîc laſcivientem vel ludentem accuſabunt: Qui ad primævam creationem omnia referunt, forte à DEO creata quædam granula ſeminalia concedent tot petalis inſtructa, expreſsè in hunc finem, ut commodâ accedente fermentatione & recluſione ipſorum plenitudo oculos percellat; Vel aliquot ovula ad ſummum caulis delata, quoad ſua modò petala evolvi, reliquis partibus in univerſum omnibus ſuppreſſis, dicent. Eadem urgere difficultas videtur flores fiſtuloſos, aliàs planos. Num & iſtiusmodi fiſtulis inſtructa ovulorum quædam creavit Formator primævus: Obſtat quidem bellidem fiſtuloſam, quam acceptam refero D. HOFMANNO, nonnunquam degenerare rurſus in plenam communem; Ad hæc etiam Hortulanorum querela eſt, redire plenorum quosdam ad priſtinam ſimplicitatem. Sed iſta tranſeant modò. Pergo in tradendâ ſterilium naturâ. Quærit THEOPHRASTUS: *An ob aliquam offen-*

ſam

ſam aut demptionem partis, arbor reddi infœcunda posſit, quemadmodum animalia? hiſt. lib. 2. cap. 5. Item: *Inter flores mali medicæ, qui velut colum quandam erectam in medio habent,* (ſtylum forte & apiculata ſtamina) *fœcundos hos fore affirmant: Qui verò non habent, hos fore infœcundos. lib. 4. cap. 22. lib. 4. cap. 4.* Scilicet, ſterilitatis plantarum ratio non eſt eadem. Steriles vocantur Mercuriales, Cannabis &c. florentes, maſculi, at minus propriè. Pater enim, utūt ipſe fœtum nec gerat, nec edat in lucem, quod matris munus, malè tamen ſterilis dicitur, niſi caſtratus talis fiat, in plantis æquè ac animalibus; Steriles fœminæ, virgines viduævè plantæ, vigore maris non actuatæ; Steriles hermaphroditi, læſis vel fœminini, vel maſculini ſexûs partibus; Ne de ſterilitate accidentali ex vitio loci, culturæ &c. quid dicam. Prætermittere tamen nequeo peculiarem ex culturâ ſterilitatem, quæ Eidem THEOPHRASTO *d. cauſ. lib. 3. cap. 23.* perfectio quædam ſive melioratio audit: *Aquâ ferventi cùm quædam rigantur meliores cunt, ut Malus verna, & Myrtus. Hæc enim ſine nucleo redditnr, ut quidam affirmant. Deprehenſum id eſt fortuito, cùm myrtus juxta balneum ſtaret neglecta. Quæ cùm ſine nucleo eſſet, ſemina ex eâ petentes ſerebant, atque ita genus hujusmodi Athenis eſſe cœpit.* Quæ hæc Myrtus apyrenos? ſine nucleo, nullum in acino ferens nucleum, cujus fructus ligno carent, juxta verſiones Interpretum. At velut mala punica apyrena dicuntur RAJO, non quibus nulla ineſt granorum durities, ſed quibus minor, ita quoque hujus Myrti baccæ? Aut, an τὸ ἀπύρηνον negat ſolùm præſentiam corticis ſeminum, an verò utriusque & corticis & nuclei? Aliud enim eſt nullum in acino ferre nucleum, & aliud fructum amittere lignum. Quod ſi myrtus apyrenos ob defectum utriusque, quomodo poteſt dici propagata ex ſatis ſeminibus, quæ ſemen verum, ſeminalem plantulam non habuit? Forſan Interpres ceſpitavit: τούτου γὰρ ἀπυρήνου γενομένου λαμβάνοντες ἐφύτευον. Videtur τὸ φυτεύειν referendum non tam ad ſemina, quàm ad ramos, & vertendum fuiſſe plantare potius, quàm ſerere. Myrtus enim *hiſt. l. 2. c. 1.* & à ligno & ramo

provenit. Cæterùm quid aqua fervens, ſ. rectius fortè calida, contribuerit, alii disquirant! Pergo ad Malum vernam, cujus eadem citantur fata, aliquanto clarius explicanda. C. BAUHINUS recenſet in *Pinac. p. 435. §. 5.* Malum ſine ſemine interius in fructu J. CAMERARII, §. 4. Malum non florentem, fructificantem tamen GESNERI: Hanc, omiſsâ priore, HERMANNUS quoque in *Catal.* citat, dictam *Catalog. Hort. Reg. Paris.* Malus fructifera, fugaci flore: Meminit etiam M. HOFMANNUS, Mali ſine floribus poma ferentis. J. BAUHINUS Theophraſti Malum vernam, quæ fructum ferat ſine nucleo, iſtud Mali genus fuiſſe cenſet, pergitque: *At flos fructûs eſt principium, nucleus arboris: Semel igitur atque iterum violatam hîc Naturæ legem, quis non videat? In eo ſe exerceant ſubtiliſſima ingenia: multum nos interno principio tribuimus.* Videtur ergò Ipſius Malus non florida etiam non ferre ſemina, & ſic unam eſſe arborem, quæ ſine flore, ut GESNERUS, quæ ſine ſemine, ut CAMERARIUS. Hoc ipſum autem confirmabant omnes, qui vel viſam ſibi vel cultam talem arborem retulerunt, teſtati nullum ipſi eſſe florem, nullum ſemen, ſed inſtar ficuum trudi poma. Ipſe tandem ſub finem Aprilis hujus anni arbuſculæ tali pro non floridâ habitæ non ſemel curioſus adſtiti ſpectator, & in fructibus quidem modum prorumpendi aliis planè ſimilem notavi, petala autem & apices nullatenus deprehendere potui. Inſidens etenim petiolo ſuo parvulum pomum pandit in ſummo quinque calycis folia externa majora, totidemque intus minora, medium occupant plura erecta filamenta, ſcil. tubæ ſ. ſtyli uterorum, quæ aliàs vicinis ſtaminibus apiculatis ambiri & perfundi ſolent, ipſis hîc deſtituta. Jam tum in tantillo pomulo non difficile erat agnoſcere ſeminum rudimenta, tanquam exigua alba granula in ſuis loculamentis; At hæc ipſa ſubſequo menſe Julio, cùm ad maturitatem ſuam jam perveniſſent poma iſta præcocia, nihil profecerant, ſed corrugata nigricabant, vacuis de cætero loculamentis, non comparentibus plantulis ſeminalibus; Ut rurſum deficiat utrumque ſimul, apices & ſemina. Patet ergò fructi-

fructificationis terminum hîc eſſe æquivocum : Fert non florens arbor fructum, i. e. pomi carnem edulem ; Verè non fert fructum, quia ſemen non fert ; adeoque arbor non obſtante fructuum copiâ ſterilis. Scil. hæc poma non alii ſunt fructus , quàm quales Mori baccas &c. dixi , ova ſubventanea , utut multum pulpæ habeant, infœcunda tamen, quia germine deſtituta. Hinc principium internum J. BAUHINI , quod forte hauſit ex Theophraſto, quo immutato cætera quoque, atque univerſam naturæ conditionem permutari neceſſe ſit, erit vel plantula ſeminalis, quâ quicquid caret , per ſemen propagari nequit , vel apicum pulvis , ſine quo nullum in ovulis germen. Enimverò cum Malus iſta præter naturam apicibus ſit privata , nec inſtar aliarum ſexu diſtinctarum habeat marem à naturâ ſibi coordinatum , mirum non fuerit , ſi forte apices non ſemper totaliter ſupprimi vel excludi poſſint, ſed hîc & ibi quædam ipſorum portio irrepat , & ita florem inter tot fatuos unum alterumque fœcundum conſtituat ; Sanè , in tot à me diſſectis pomis non niſi tria fœcunda ſemina , ſ. plantulâ ſeminali inſtructa mihi occurrerunt, tanto reliquorum numero ſupervacaneo. Quid cauſæ ſit , cur arbor iſta nec petala nec apices ferre poſſit ? vel inde obſcurum mihi manet , quod nec primam originem ipſius, ſ. quâ ratione talis producatur , hactenus reſciſcere potuerim. Iſta poma apyrena ducunt me ulterius ad Uvas Agigartas Theophraſti, talis enim Vitis toties meminit, *cauſ. pl. l. 3. & 5. variis capitt.* Modum quoque recenſet, *Uvas*, inquiens, *vinaceis vacuas faciunt, detractâ medullâ palmitis, quâ vinaceum gignitur.* Experientiam , quam hîc propriam non habeo , adduco alienam, SCALIGERI. Ipſe in Commentario : *Mirum , tantum virum non feciſſe periculum : qui de hâc re ſcripturus eſſet. Nobis ſatis compertum eſt : in viridario quas Vites habemus agigartas , medullâ non carere , eas ex Taurinis huc curavimus , exigui ſunt acinuli : Corinthiacas vocant. In libris Indicarum navigationum ſcriptum eſt, orientalibus locis grandiſſimis acinis peculiares eſſe ſine ligno. Hoc anno, qui fuit humidiſſimus , ex vineâ noſtrâ Anthoſmiâ , quam imperitum*

vulgò moſchatam vocat, heſternâ cœnâ exhibuimus uſitatæ magnitudinis tum racemos tum acinos in eis, nullo intus grano. Cùm anno præcedenti, qui fuit æſtuoſiſſimus, nec ſine Comete & pareliis, terna etiam gigarta continerent, eaque tum maxima tum duriſſima. Propterea quòd igitur nihil eſſet hâc in naturâ periclitatus, ampliandum ſuo more cenſuit judicium: Τῦτο μὲν ἦν ἐπισκεπτέον. Et alibi, de eximendâ totâ medullâ: *Id quod cùm à nobis curatum fuit, non ſolùm operam, ſed etiam vitem ipſam perdidimus.* An hîc etiam, ut in Malo verna, flos apicibus careat, determinare vix auſim. Poſſent autem inſuper huc referri Ceraſi fructus ſine oſſiculis, Berberis ſine nucleis, Mali punicæ ſingulare genus, jam citatum, quod etiam nullum in acinis ſemen continere dicitur, &c. niſi talia negligenter nimis deſcripta eſſent; nec mihi omnia modò expedire poſſibile eſt. RAJUS iſtiusmodi plantas monſtroſas ſ. degeneres ſpecies vocat, & ex luſu quodam Naturæ ortas. Multum autem fallor, niſi melius explicantur ex propriâ ipſius ſententia per inculcatam hactenus ſexualem plantarum conditionem.

Huc itaque deductâ Plantarum & Animalium convenientiâ in proceſſu generationis, liceat cum D. BOHNIO non tam ovum ovo ſimile, quàm viviparorum generationem oviparorum productioni, addimus, plantarum conceptioni, pronunciare, attendendo nimirum magis ad eſſentialia generationis principia, quàm ad accidentales modorum perficiendi & pariendi differentias. Juvat ſanè notare, uti gradatim & ſucceſſive univocus generationis conceptus utrique regno reſtitui & compleri cœperit: (talis quidem viventibus omnibus ſolebat communiter aſſignari, ſed diverſâ utrinque explicatione ipſo facto negari.) Primus JOSEPH. AB AROMATARIIS Ariſtot. principium animalis in ovo, plantæ in ſemine realiter, ſc. ad oculum demonſtravit, & Harveo obſervandi diligentiâ inclyto oſtendit: Fœminarum ovaria STENO *cum Sociis* manifeſtavit; Vegetabilium fœtus cum omni uterorum apparatu MALPIGHIUS; Primis animalibus plantisque ovula & ſemina in univerſum omnia adſcripſit

SWAM-

SWAMMERDAM, MALEBRANCHE, PEIERUS, per Elementa diſperſa concepit FABRI, PERRAULT, STURMIUS, quod deerat maſculinum ſemen ſupplet GREWIUS, & hoc ipſo invento multis Botanicorum æquivocationibus finem facit, multa veterum tradita illuſtrat & confirmat.

Exprobraverit ergò forſan non immeritò ſuo tempore Botanicis JUNGIUS, quòd maris & fœminæ nomine pro lubitu quisque uti videatur: Nunc tamen ſuppetunt manifeſta ſatis ſigna, pro dignoſcendo Plantarum ſexu, & conſtituta eſt regula, quæ hallucinationes ipſorum, ut MORISONI termino utar, oſtendat. Eam ipſam autem nov-antiquam, & olim quoque Aliis probatam eſſe ex ARISTOTELE ET THEOPHRASTO licet colligere: Hic enim non modò Palmæ floridæ maris, fœcundæ fœminæ titulum expreſsè tribuit, imò à Botanicis ſe prioribus tributum ſupponit, verùm etiam notabilem in arboribus differentiam (κοινὴν ſolet vocare, Interppr. reddiderunt publicam) citat loco non uno, quâ mas & fœmina diſtinguatur, eamque à fructificatione & ſterilitate deſumit; Ille: *in plantis altera fructificat, altera non, ut olea & oleaſter, ficus & caprificus* d. gen. l. 3. c. 5. Arbores item ſub eodem genere diverſas agnoſcit, quarum hæ fructum ferant, illæ non ferant, ſed ferentes adjuvent ad maturandum, ut inter ficum & caprificum evenit. d. gen. l. 1. c. 1. Palmæ exemplum Ipſum non latuit, ſiquidem Autor ſit libri de Plantis Ei adſcripti, quærit enim an in plantis ſexus fœmininus maſculinuſque reperiatur, aut an ſpecies ex hiſce duobus ſexibus commiſta, ut EMPEDOCLI placuerit; conformiter etiam THEOPHRASTO, *In palmis*, ait, *ſi folia vel foliorum*, (florum) *pulvis, vel maris cortex fæmellæ palmæ apponantur, ut cohæreant, citò matureſcent ejus fructus, caſusque eorum prohibebitur; &c. Quod ſi forte ex odore maſculi adduxerit quippiam ventus ad fæmellam, ſic quoque matureſcent ejus fructus, quemadmodum cùm folia* (elate ſ. ſpatha) *maſculi ex illâ fuerint ſuſpenſa.* Similia ex PLINIO ſuo profert SALMASIUS: Mas unus inter plures fœminas ſtans, propiores qui-

dem ipſo penè tactu maritat, longius autem remotas, afflatu viſuque & ipſo etiam pulvere ſibi maritas facit; illæ blandioribus comis in marem pronæ nutant, &c. *Adeò eſt veneris intellectus, ut coitus etiam excogitatus ſit ab homine ex maribus flore ac lanugine* (apicibus) *interim verò tantum pulvere* (apicum polline) *inſperſo fœminis*. hiſt. l. 13. c. 4. Et ſic Ipſi Palmæ mas qui floret infrugifer, fœmina citra florem καρποφόρος ſive βαλανηφόρος, quæ tamen, maris arbore excisâ, vidua poſtmodùm ſterileſcat.

Non deſunt, fateor, ex parte utriuſque Laudatorum Autorum, quæ dictis obſtare videntur. ARISTOTELES agnoſcit alicubi, eſſe in plantis, quod pariat & generet, ſed urget deeſſe τὸ ὀχεῦον. *hiſt. an. l. 4. c. 11.*; ab EMPEDOCLE ſexum prius ſibi ſiſti ſeparatum poſtulat, antequam mixtum ipſi concedat, libr. d. plant; Palmæ exemplo ſubjungit Balauſtias, quæ eodem modo conducant oleis unà plantatis. Verùm utrique poſtulato ſatisfaciunt recenſitæ plantæ maſculæ, impregnantes fœminam, in eâ generantes; quoad tertium diverſa & prorſus alia eſt conditio plantarum, quæ ratione vel umbræ, vel effluviorum, vel alimenti, &c. ſe invicem juvant, cùm unà plantantur, ab illis, quæ ſe juvant, ut mas & fœmina, in negotio generationis.

THEOPHRASTUS quoque priorum oblitus videtur, cùm Abietem marem & fœminam citat, Pinum item, aliasque plures malè, & pro diſcrimine publicam iterum differentiam conſtituit in ligni mollitie, maſculo non competente; In quo utique multos habuit ſequaces, quamvis Botanici uſque controvertentes, an Recentiorum picea Ipſius mas an fœmina ſit, necdum determinaverint. Porrò de Sexu agens *l. 3. c. 6.* plantas mares alios abunde, alios planè non florere, & contra in aliis mares tantùm fructificare refert, ſubjungens minus veroſimilia: *E floribus* (an julorum polline?) *arbores generari, ſicut ex earum fructibus, quæ fructum parere poſſunt, atque ſpiſſè adeò exoriri nonnunquam utrinque, ut niſi factâ ſemitâ nullus tranſitus ſit*; Denique ubi mas & fœmina ambo fructifera ſint, fructum præſtari meliorem à fœminâ, niſi

forte

forte mares ita libeat vocare. Quicquid ſit, poſteriora hæc prioribus ſat claris non derogabunt, præprimis cùm miſera Theophraſti codicum corruptio communiter deplorari ſoleat, quæ forte iſtis aliquam occaſionem dare potuit. (Novam à C. HOFMANNO relictam verſionem non ſine notis luculentis B. Præſidis VOLCKAMERI Genero D. THOMASIO ceſſiſſe nuper comperi: Sic vel tandem, ſpero, inveniet Editorem Manuſcriptum, ob Auctorem & Interpretem meliore fato dignum.) Hoc tamen maximè miror, quod *d. cauſ. lib. 2. cap. 13.* egregiè & planè ad mentem noſtram locutus de palmâ, mox ſequenti capite rationem redditurus, quamobrem inter congeneres plantas aliæ frugiferæ ſint, ἄκαρπα καὶ κάρπιμα, quæ quidem fœminæ, illæ autem mares dicantur, cauſam ſterilitatis ex molis largiore nutritione derivare prætendit: Quaſi verò hanc ob cauſam Gallus ova non poneret. Minus forte obſtat, quod alibi, RAJO etiam notante, palmam utramque tàm marem quàm fœminam fructiferam facere videatur: *Palmarum*, ſcribens, *genus aliud fructiferum, aliud ſterile; fructiferarum aliæ mares, aliæ fœminæ, hiſt. lib. 2. cap. 8.* Toties enim aliter ſentit, nec ſibi ipſe ſpero, contradicet. Forte Palmæ quædam nec ad florem, nec fructum pervenientes, vitio loci tales dantur, aliæ autem alibivè feraces, hæ flore, illæ fructu inſignes, utræq; fructiferæ Ipſi dicuntur. Cæterùm quoad differentiam, quâ mas præ fœminâ durior & ſiccior dicitur, eam utpote accidentalem non magis hîc attendo, quàm diverſa viri & mulieris temperamenta: Mares autem porrò, quemadmodū nullibi in utroque regno fructum ferunt, ita nulli non florent interim ex eorum pulvere ſive flore, quocunque ſpargatur, extra fœmellæ ovarium, nusquam planta generatur, uti nec à ſparsâ, niſi ad ovum, geniturâ animalium fœtus. Patet itaque ex omnibus hactenus fundatis, cùm Botanici diſceptantes Mercurialem teſticulatam hi marem illi fœminam vocant, non attendi hîc quamcunque illam ſignaturam ſive ſimilitudinem binorum globulorum

rum cum teſticulis maſculorum; fructus enim ſunt, & fœtum intra ſe alunt, quod non niſi fœminæ competit. Eadem ratio eſt de Phyllo, quod antiqui in arrenogonum & thelegonum, mariparum & fœmini parum diviſerunt, cujus obſcuritate offenſus SALMASIUS, ſanè multa, inquit, turbant veteres herbarii, nec ſemper ſibi conſtant, nec paria ſcribunt; quorũ negligentiam heîc & in aliis rebus ſæpe ſum miratus; Clarè illius naturam explicat MAGNAL, niſi quod nomina commutet: *Ex maris ſemine phyllum utrumque* (ſpicatum Ipſi & teſticulatum) *naſcitur, fœmina enim ſterilis eſt*, quæ melius fertilis hactenus conſtituta. Niſi forte is nominum illorum ſit ſenſus, qui herbæ cratægonon dictæ; quam SALMASIUS hoc nominis nactam fuiſſe tenet propter virtutem, quam obtinet ἐν τῇ γονῇ: *Nam pota facere potis eſt, ut mulier puerum pariat.* Si credimus, ſubdit PLINIUS. Omnes aliæ plantæ in marem & fœminam diſtingui ſolitæ, eo ipſo, quo ferunt utrumque & flores & ſemina, non ſexu disjunctis, ſed hermaphroditis ſunt accenſendæ: Pœonia e. g. veronica, anagallis, abrotanum, cornus, &c. hactenus etiam ſine fundamento Filix mas & fœmina audit. LAUREMBERGIUS mala Perſica, quorum carnes ab oſſibus abſiſtunt, notat cenſeri fructus Perſici fœminæ; quibus firmiter adhærent, maſculæ: In cydoniis, quæ oblonga ſunt, aſſignari maribus, rotunda fœminæ; pulpam quoque pallidam maſculo, fœmellæ candidiorem à Gallis adjudicari. Ita quidem cum vulgo loqui licet, ſed ſentiendum cum Eruditis.

At, quò abripior! Videor præmiſſæ in exordio propoſitionis immemor juſto confidentius ſcribere. Videlicet ita verſari ſolet animus circa id, quod probat, & ægrè deflectit ad conſiderandum, quod deamatæ ſententiæ contrariatur, dum ipſi expoliendæ totus inventus eſt. Accingor itaque ad alteram propoſiti partem, expoſiturus dubia ſub meditatione priorum concepta. Abſit autem, Theſſale, ut novam tibi moleſtiam prolixâ epiſtolâ creare præſumam, ſuperſedebo corraſioni ſuſpicionum & rationum, quæ contra ſexum formari poſſint multiplices; Quemadmodum recen-

recenſitis plantarum phænomenis & obſervationibus induci me paſſus ſum, ut pro Sexu plantarum ſcriberem, ita non alios ſcrupulos, quàm binos præcipuè ad experientiæ punctum referendos, at eò difficiliores exemptu, hâc vice proponam.

Primò, dantur Plantæ, quibus Apices ſunt & valdè copioſi, ſed nulla ſemina. Atqui credibile non videtur, omiſſas eſſe in quàdam plantarum ſpecie fœmellas; Fruſtrà enim eſſent maſculi, utut numero multi, & finem natura ſuum, fructificationem, ita non aſſequeretur. Lycopodium ſive muſcus terreſtris clavatus iulaceos fert flores in pollinem abeuntes, ut prius jam notavi: Equiſetum quo aſparagos protrudit tempore, clavato terminatur capitulo, apicibus conferto, & arborum julos egregiè repræſentante. Pulvis, quo utrumque ſcatet, copia globulorum eſt, & more ſolito difflatur in auras: Proſtat prior in officinis, & Semen Lycopodii audit. Hîc ergò abundat ſemen maſculinum, verum non correſpondet fœmininus ſexus, deſunt ſtyli, vaſcula ſeminalia, ſemina; Nec enim equiſetum aut lycopodiũ illo pulvere ſeri putem. Fateor, ûtraq; planta eſt ex claſſe illarum, quas imperfectas vocant, prius ab hâc noſtrâ conſideratione pro nunc excluſas, tanquam flore & ſemine vel nullo vel minus conſpicuo præditas, quarum adeòque ortus & propagatio obſcurior; ægrè tamen ſententia noſtra patitur tantam ſeminalis auræ copiam fruſtrà diſpergi. Equiſetum quoddam polyſpermum C. BAUHINUS recenſet, cui grana plura ad articulorum commiſſuras adnata; At qualia iſta grana, gallæne ſint, an vera ſemina, cùm quæſita licet nunquam mihi occurrerint, & Botanicorum plures non tam ſibi quam aliis viſa relativè adducant, determinare non audeo.

Secundò, videor mihi obſervâſſe generantes fœmellas ſine prætenſo maſculino ſemine. Alterum inconveniens. Frumenti Turcici alligatæ binæ ſpicæ fœcundis quidem granis deſtituebantur in totum, ut ſupra retuli: at tertia, prior tamen in ordine naſcendi, undecim fœcunda ſemina, plantâ ſuâ, ut in hâc claſſe decet, inſtructa exhibuit, & ſic abſolutam maſculini pollinis neceſſitatem

infringit, utpote cum officio ipſi aſſignato directè pugnans. Ne quid ſubticeam, major granorum pars & in hâc ſpicâ erat vacua, & ex ordine ovorum ſubventaneorum; undecim tamen illa, fœtibus ſuis prædita, Patrem arguunt, & poſtulant deſignari, quid fœcundaverit? Non exactè ſublatos fuiſſe apices, paucos ſuperſtites etiam nonniſi paucis granis fœcundandis ſuffeciſſe, ipſe mihi reſpondiſſem; niſi ipſe quoque cautè & prorſus illos ſuſtuliſſe, imò bis idem obſervâſſe, mihi viſus fuiſſem. Alias congeneres in viciniâ florentes accuſare non poteram, à ſociis enim longè remotam ipſam ſtudio plantaveram.

Tandem, poſt Mercurialem & Spinachiam egregiè in confirmando ſexu vegetabili conſpirantes, Cannabem quoque fœminam maris conſortio ſubtractam duxi. Verumenimverò tres ex campo in hortum translatas plantulas, primis indiciis pro fœmellis agnitas, ſollicitè cultas, nulla vicini maris ſuæ ſpeciei flore exhilaratas, plurimis tamen granis fœcundis ſuo tempore onuſtas deprehendi, & ægrè, fateor, tuli: hanc enim in diverſum à ſociis ituram nullo modo ſuſpicabar. Mecum ipſe igitur cauſatus, vel ſerò nimis illas plantas è florentium ſegete, in quibus forte præcoces aliquæ florum ſuorum farinam jam ſparſerant, fuiſſe ſemotas, vel in horto alias plantas in copiâ florentes imprægnâſſe avidas fœmellas, (admodùm quippe & lætè excreverant) ut in animali regno fœminam à diverſæ ſpeciei maſculo imprægnari poſſe, nemo in dubium vocat; imò unde natum proverbium: Africa ſemper aliquid novi. (Nova etiam hîc difficultas, an fœmella vegetabilis imprægnari poſſit à maſculo diverſæ ſpeciei, cannabis fœmina à lupulo mare, ricinus apicum globis privatus aſperſo Frumenti turcici pulvere? &c. an, & quàm mutatus inde prodeat fœtus.) Quapropter ſeminanda cannabis grana ratus, & vaſculum ex omni plantarum viciniâ in locum ſolitarium transferendum, alterâ æſtate experimentum repetii: Et ecce! fors tulit, tres fœminas totidemque mares obſervare, his itaque in ſtaturâ quidem jam aliquatenus provectis, (peregrè enim aberam) ante-

antequam tamen panderentur apices, reſectis, reliquarum fata ſollicitus expectavi. Utique in ſingulis, quemadmodum ante annum obſervaveram, ingens copia comparuit ſeminum ſubventaneorum, ſ. veſicularum inanium, plantulis carentium; Nihilominus fœcunda quoque numero non adeò pauca aderant, ea maximè, quæ cauli proxima & prima ordine creſcendi, reliquis tardioribus potius caſſis & irritis.

Quid ergò, cùm me ita deſerat fallax experientia? Scilicet, difficilius inde fit judicium, dignumque adeò BOYLEO eſt effatum, quod occaſione Experimentorum quæ non ſuccedunt, vel ſaltem eventu, quàm optaveras, diverſo, reliquit: *Experimenta, quibus dogmata vel theoretica vel practica ſuperſtruere exoptas, cautiſſimè & ſæpius exploranda, nec illis, quæ ſemel duntaxat perfeceris, nimis eſſe fidendum.* Non eſt tamen, quòd animum deſpondeam, etſi experimenta quædam votis perpetuò non reſponderint, monente Philoſopho, dari plures ejusdem ſortis comites. Quapropter nova jam concipit animus, pro futurâ, quam Deus conceſſerit, æſtate; nec ſexum plantarum, quem ipſa natura indicare videbatur, pro quo major obſervationum pars militat, adhuc explodi patitur. Non equidem tempeſtate quaſi huc delatus, ad iſtam ſententiam tanquam ad ſaxum ad hæreſcam; Potior erit veritatis ratio: Sed circumſpectâ undique & diligenti ἀκριβείᾳ occultos forte priorum obſervationum errores, ſi qui ſubſunt, evitare ſtudebo, aut ſuſpiciones, quas pro declinandâ quæ ex fœcundâ Cannabe eſt difficultate microſcopio uſus concepi, firmare tentabo. Tibi autem Honoratiſſime Domine Fautor & Collega, cui dicata Epiſtola, dijudicanda quoque nunc ſubmittitur. Te laborum ſocium & coinquiſitorem veritatis invitare eò minus dubito, quò magis Naturæ Curioſum ipſa officii ratio obligat: Tu modò hæc maximam partem inter belli turbas & publicas patriæ calamitates concepta æqui bonique conſule, perfice, ſi quæ vera deprehenderis, quæ ſecus, corrige: Moneri & doceri, mihi

favoris teſſera erit. Vive ſub umbone gratiæ divinæ, & vale quàm optimè, Academiæ ſplendorem, Phyſicæ augmentum feliciter promove. Dab. Tubingæ. è Muſeo meo. d. 25. Aug. A. cIↄ Iↄc LXXXXIV.

A. A.

Ode.

NOvi canamus regna cupidinis,
Novos amores, gaudia non prius
Audita plantarum, latentes
Igniculos, Veneremque miram.

Favete, quotquot vatis Horatii
Docto movetis pollice barbiton;
Quod glorioſum ſit Poetis,
Poſcit opem mea Flora veſtram.

At vos amantes, aut animantium
Greges, qui adeſtis nunc date congruas
Caſtasque voces, comprobate
Phænomenis recitanda veſtris.

Panſus favonî Flos tener halitu
Ponit futuri ſtamina ſeminis,
Sexum maritans differentem;
Tunc Apices etenim crepare

Solent biſulci, ſpargitur undique
Farina, flavi copia Pollinis,
Pulvisque totus delicatus
Aere provehitur ſecundo.

Hic

Hic ſemen eſto, maſculus hic liquor,
Colata ſucci portio purior,
Vicina conſpergens tubarum
Ora, ſtylumque ſuper tenellam

Profuſa largè; Sic muliebria
Membra irrigantur, copula ſic palàm
Fit conjugalis, non movebit
Stirpibus iſta venus pudorem.

Huc liliorum vel nimium breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ,
Anthera, virus ſeminale,
Ecce tubarum uteris dicatum,

Fœcundat ipſas; Scilicet hermaphro-
ditus notatur plurima ſtirpium
Pars, membra ſexûs utriusque
Dum generant benê copulantur.

Sylvas petamus, quò vocat arborum
Flos ſingularis; reſpice, penduli
Turgent nucamentorum Juli,
Sulphuream pluviamque fundunt:

Hâc parte mas eſt floridapinus, at
Quâ parte prodit principium nucis
Fœmella; diverſis viciſſim
Arbor agit patiturque membris.

Serrata ſicut cochlea dum coit,
Immittit utrinque & recipit ſimul,
Ut maſculum intra ſe recondunt
Principium oſtracoderma mixtum.

Fumoſa non ſic juniperus, neque
Odora laurus, palmaque nobilis;

Mirare fructu deſtitutas
Floriferas, ſine flore fructûs

Illas feraces, ut ſpecie tamen
Suâque formâ conveniunt benè;
Sic bruta, ſic differre ſexu
Non homines aliter notantur.

Quid poſcis ultra? Si dubitas tamen,
En plura! Zythi nota volubilis
Potoribus, ſpina culinis
Notum olus, agricoliſque duplex.

Vellendâ fœtens cannabis, herbaque
Cui nomen hæſit mercurii, docent
Quòd matris ejuſdem ferantur
Progenies, pueri & puellæ.

Gallina qualis dum ovula concipit,
Reddenda galli ſemine vivida,
Pòſt dura conceptu abſoluto
Teſta tegit rudimenta pulli;

At virgo ſi quæ vel vidua edidit,
Dixére ſubventanea & irrita,
Spes inde planè nulla fœtûs,
Plena licet ſcateant liquore:

Qualiſvé piſcis, dum ſtudet edita
Servare fuſo ſemine granula,
Non curat externum involucrum,
Non rapidis prohibetur undis:

Talis videtur pars bona ſtirpium,
Cui nata primùm ovaria, polline
Hinc tacta, mox turgent recenti
Germine, principioque plantæ;

Nam

Nam creſcit unâ mixtus in areâ
Uterque ſexus, proxima fœmina eſt,
Cùm ſemen, ut fumum, mariti
Ventus agit tenuemque ſpargit.

Sed tolle florem, vel reſeca ſtylum,
Marivé caſtam ſubtrahe virginem,
Caſtrabis herbas, ſeminumque
Sic geneſin prohibebis omnem.

Sunt caſſa quæ tum ſemina & irrita
Fœmella molitur, neque perficit:
Cur ergò flos plenus ſuperbit,
Qui ſterilis ſine prole vivit?

O mira plantis atque animalibus
Aſſerta jam dum convenientia!
Quod vivit & prolem propagat,
Omne modò generatur uno.

O magna virtus ingenii! cui
Deprenſa primùm talia ſeculis
Ignota; Naturæ dicati
Laude tuâ ſtimulentur omnes.

O ſumma, mundi cauſa, potentia!
Tu quem creaſti jugiter ordinem
Servare naturæ, tuamque
Autor amas renovare terram.

f.

A. E.

APPEND.

APPENDIX II.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI
RESPONSORIA
Ad
DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII
EPISTOLAM DE SEXU PLANTARUM.

VIR CELEBERRIME.

Sexûs mei prorſus oblivifcor, quòd politisſimæ & omninò teneræ Tuæ *de Sexu plantarum* Epiſtolæ non citius reſpondeam, cùm Viros id promptè expedire deceat, quod fœminæ (quæ dum comuntur, annus eſt nimis retardare ſolent. Aſt quam ingratiis meis necto moram, haut ægrè feres, *Amicorum optime*, cùm & ſerius appulerit ſcriptum nobilisſimum & in Amicorum meorum manibus aliquantisper fuerit detentum; unde quod dudum fieri debebat, cunctando rem reſtituo, & utinam eâdem, quâ in me feudum hoc elocaſti, ſpecie & eruditione reſtituere valerem! aſt qui valerem? cùm omnem hujus rei fundum ipſemet occupâris, ita ut nequicquam amplius ſuperſit, quàm ut ambabus, quod dicitur, mânibus, in ſententiam Tuam complodam, quam in Eruditorum ſalivam commiſiſti. Plaudat ſibi Latium & in cœlum usque evehat MALPIGHIUM, Argo licet oculatiorem: Plaudat ſibi Britannia de GREVVIIS, RAJIS, MORISONIS in intima plantarum viſcera euntibus: Habemus Hectores, abſtruſisſimum illîc ſexum diſtinguentes & quá prorſus usque de-

defraudata erat, virilitatem Floræ reconciliantes. Virum Te præſtas, Hector Candidisſime; & dum

Novi cantaſti regna Cupidinis,
Novos amores, gaudia non prius
Audita plantarum, latentes
Igniculos, Veneremque miram
Favemus!

Nec eſt, ut vadimonium hîc deſeras, quùm paucæ & exiguæ, quæ Tibi ſcrupulum injiciunt, difficultates factis impoſterum experimentis dubio procul exſpiraturæ ſint; & licet non exſpirent, aliis tamen longè gravioribus rationum momentis nequicquam derogant, cùm à potiori ſemper denominatio ſumatur: & quis ſciverit, annon alcohol illud, quô vernantes Equiſeti ſtolones & aſparagi ſunt impleti, ſtylos quosdam in fibrarum interſtitiis latentes inundet, quos tanquam aliarum plantarum hermaphroditicarum ſemina ſtylosque ſeminales impregnare poſſet, quòd ipſum tamen non prius aſſeruero, quàm oblatâ occaſione quid de iis obſervaverim. Alterum verò de fœmellis absque maſculi connubio Tibi generaſſe viſis, minori, ut exiſtimo, difficultate ſcatet; ut enim non dicam in quibusdam virtutem ſeminalem, aut etiam pollinem illum ſeminalem modô quaſi inviſibili per interiora fibrarum ſpatiola circulari & tandem ad ſtylum ceu uterum devenire poſſe, ſane quæcunque fuerit illa diſtantia, quâ aut Frumentum Turcicum aut Mercurialis fœmina à maribus ſibi deſtinatis ſeparantur, tanta tamen eſſe non poteſt, quin à proportionatis horum particulis ſeminalibus per ventos apicibus excusſis & in aere volitantibus impregnari posſint, cùm Te neutiquam lateat, quantâ ſæpè locorum, imò regionum intercapedine actiones fiant magneticæ, per effluviorum ejusmodi contactum unicè explicandæ: Interim nollem me Arbitrum conſtituere Eruditionis Tuæ edecumatæ, cùm meum, ad quod provocas, judicium, eò non aſpiret, ut Virorum in his talibus verſatisſimorum placitis ſe miſceat

ſeat & quam jure promerentur, gloriam affectet. Tibi debentur gratiæ, qui glaciem fregiſti: Tu

- - - Phyllida ſolus habeto.

Quod verò Theſſalo Tuo æſtimatisſimas ingenii Tui dotes inſcribere non dubitaveris, illud amori Tuo unicè adſcribo, quem ut gratâ ſemper recordatione veneror, ita de reciprocô erga Te affectu meo nunquam non ſecurus eſto. Ita vale, cum universâ, quam exornas, familiâ. Vale terque quaterque!

Tuus ex animô Totus

THESSALUS.

APPENDIX III.

DE
NOVO HÆMORRHOIDUM COECARUM REMEDIO, MURIBUS ſc. MARINIS,
EPISTOLA
D. CHRISTIANI MAXIMILIANI SPENERI,
Ad
D. MICH. BERNHARDUM VALENTINI,
PP. & p. t. Acad. Giſſ. Rectorem.

MAGNIFICE DOMINE, PATRONE VENERANDE!

UTut in minimis ſæpè maxima ſit Creatoris Optimi potentia, videas tamen haud paucos, in perſcrutandis Corporum Naturalium deliciis occupatos, naturali quadam animi proclivitate in ea ferri, quæ ſplendore quodam externô

ternô coruſcant, miraque colorum, quâ diſtinguuntur, varietate oculos effaſcinant, inſuper habitis viſui ingratis. Cumprimis autem in *Marinorum* deſcriptione hoc ipſum obſervare licet, quæ (ſi, quod res eſt, dicere velimus) ad pompam magis & delectationem, quàm utilitatem eſt compoſita, adeò quidem, ut admirandam aliâs concharum varietatem nonniſi ad *mentis & oculi* (ut titulus habet) *recreationem* deſcripſerit Italus Curioſiſſimus, PHILIPPUS BUONANNI; nec ad alium finem in *Gazophylaceis* & *Muſeis* Eruditorum, tam Germanorum: BRACKENHOFFERI, MAJORIS, SCHEFFERI, VOLCKAMERI, WALDSCHMIDII, HIEGELII, SPOHRII & quod B. Fratris olim erat, nunc Illuſtris TSCHIRNHAUSII: quàm Exterorum, HERMANNI Lugdunenſis, VAN BURG, VINZENTII Ambſtelodamenſium, BARTHOLINI, WORMII Hafnienſium, Du VERNEY Pariſienſis, oſtentantur: In quibus ècontra ea ſæpe deſideres, quæ ab aliis, uſu magis, quàm ſpecie externâ corpora naturalia metientibus, hiſce ſi non præferuntur, eodem ſaltem loco atque pretio habentur.

Non ſine indignatione hoc nuperrimè videre licuit, quando inter mutuos ſermones cum Amico conjunctiſſimô, DN. OELFFENIO, Med. Cand. Digniſſimô & in rebus naturalibus exquirendis Curioſiſſimô, reciprocatos, in notitiam inſolitorum quorundam corporum pervenirem, quæ (ut in TAB. I. *Fig. 1. 2. 3.* offeruntur) vulgò *Mures Marini* audiunt, ab aliis verò pro *ovis Rajæ piſcis* habentur & in Muſeis inſtructiſſimis, ſolo Brackenhoferiano exceptô, hactenus deſideravi, utut (quod præfiſcini dixerim) bene multa illorum uſque frequentaverim: Quod eò pejus me habebat, quod, cùm paulò curatius in hoc negotium inquirerem, etiam ab ineruditâ plebeculâ comperirem, murium illorum probatiſſimum in curandis *hæmorrhoidibus cæcis* uſum eſſe. Equidem ſi omnes concharum, etiam pretioſiſſimarum myriades in acervum colligas, vix ullam reperies, quæ præ aliis prærogativam quandam effectivè habeat, cùm in virtute, abſorbente ſcilicet, &, ut

ut loquuntur, præcipitante ſingulæ conveniant, adeò quidem, ut haud pauci ſint, qui eam ob cauſam nimiam, quæ in iis colligendis locatur, curioſitatem rideant & tantùm non pro crepundiis habeant. *Mures* autem *Marini*, ab omnibus hactenus inſuper habito, tali virtute gaudent, quam in rariſſimis concharum picturis fruſtrà quæreres; adeoque majorem præ aliis conſiderationem promereri videbantur. Facile Tuum, *Vir Magnifice*, aſſenſum mihi compromitto, cùm, ſi quis alius, in deſcribendis rebus naturalibus ea ſemper ſeligas, quæ non delectant ſolum, vel inani ſterilique ſpeculatione oculum animumque, paſcuntur, ſed quæ proſunt inſimul & aliquem eumque infallibilem in foro Medicô uſum præbent. Teſtantur illud Diſſertationes Tuæ edecumatæ eruditionis, quas, me ex parte cohabitante, è Cathedrâ Academicâ in ſalivam publicam emiſiſti, *Diſputationes* ſc. *de China Chinæ*, *de Ipecacuanhâ*, *de Lapide Porcinô* & in itinere olim ad D. CLEYERUM in Indiam uſque excurrens *Epiſtolâ de Moxâ:* Teſtabitur etiam mox, ut nuper ſtipulatus es, proditura *Fabarum S. Ignatii deſcriptio*, Europæis hactenus ferè omnibus ne nomine quidem cognitarum. Quibus ſi *muribus*, quos hîc deſcribo, *marinis* pabulum aliquod indulſeris, erit de quô tenuitate meæ gratulabor admodum.

Quam miſera autem *murium*, ut audiunt, *marinorum* ſit conditio, vel exinde colligas, quod neque latibulo quodam gaudeant, neque locum (ut ſuprà dixi) hactenus in Curioſorum ſcriniis invenerint. Dum igitur ſecundum illud Poëtæ:

Mus miſer eſt antrô, tantùm qui clauditur unô,

miſerrimus ſanè noſter eſt, qui nullo, etiam in ipsô natali, gaudet locô, cùm ab aquis, in quibus ſuccreſcit, marinis, tanquam palea quædam, ad littora ejiciatur.

Unde fortè eſt, quòd & à Medicis hactenus planè non examinati ſint, quibus & nomen eorum nauſeam movere poterat. Aſt verò cùm neque bufones, neque lacertas, neque ſerpentes, neque ſcorpiones aliaque horribilia magis nomina reformident eaque

Pana-

Panaceis ſuis theriacalibus immiſceant, cur à muribus his tantopere abhorrent? quibus nil niſi nomen cum animalibus iſtis exoſis eſt commune, cùm eſſentiam & naturam ſi ſpectes, ab his totô cœlô differant.

Hoc quidem certum & extra omne dubium locatum, quod *mures* noſtri *marini* è Regnô quoque Animali proficiſcantur, neque ad Vegetabilia, ut nonnulli etiam Medici perperam arbitrantur, in ſpecie autem cortices, ut primô intuitu videri poterat, referri poſſint, cùm, ſi recentes adhuc ex aquis protrahantur & exſiccati diſſecentur, vel etiam igni admoveantur, odore ſuo pennarum combuſtarum fœtorem referant, adeoque ſalis volatilis alkalini, in Regno Animali, non verò vegetabili, aliâs copioſiſſimi, abundantiam quam abundè teſtentur. Interim non tam ad reptilium vel quadrupedum, quàm potius natatilium claſſem eoſdem referendos eſſe, facilè determinare licebit, ſi primam originem & *locum natalem*, quem in ipsô mari nacti ſunt, ſpectemus. Mures autem nonniſi figuræ externæ audiunt intuitu, cùm muſculos juniores & pilis deſtitutos referant, utut non tam murino aut carneo, quàm potius ex fuſco nigricante colore gaudeant. Neque etiam viſcera intus aut quædam interanea involvunt, ſed, ut ordinariè inveniuntur, nil niſi exuvias præ ſe ferunt & tunicam quandam è fibris & ſtriis rectilineis contextam (*Fig. 2. & 3. TAB. I.*) quæ ſi flatu explicetur, & extendatur, idque per unicum, quó gaudent, foramen, pulvinar quaſi facie externâ refert; quó nomine & *mures* hoſce, utut parcè admodum, ex Ariſtotele deſcripſiſſe videtur ULYSSES ALDROVANDUS, qui *lib. 3. de Piſcibus cap. 48. p. 446.* Rajarum ova ita deſcribit: Rajarum ovum, inquit,
„ quale gallinarum & avium, initio: Teſta verò ovum ſuum con-
„ cludens ſub pictura ovorum, teſtâ nudatorum, expreſſa, quæ fi-
„ gura *Pulvinar* à quibuſdam hodiè vocatur & quadrati forma
„ eſt, demptis angulorum appendicibus, quæ variæ ſunt. Unius
„ autem lateris appendices longiores ſunt, ſimiles foliis gladioli
„ herbæ: Alterius breviores, latiores, replicatæ, quibus undique

„ ſummotis laterum angulis, tibiarum ligulis ſimiles ſunt, ut ſcribit Ariſtoteles; hactenus ALDROVANDUS, qui hâc in parte (ut in pluribus aliis) GESNERUM præeuntem habuit, ſeu potius Interpretem hujus, qui *libro de Piſcibus p. 74.* Rajarum ova & eâdem ratione deſcripſit & figuram illorum ob oculos poſuit, quæ tamen, non ſecus ac JONSTONII icon in *Hiſt. Nat. de Piſcib. Lib. I. Tit. I. Cap. 3. Art. 3. Punct. 6. Tab. 12.* experientiæ & autopſiæ non reſpondet; Aliâs BENEDICTUS CERUTUS in deſcriptione *Muſei Calceolarii*, ova hæc ovis caniculæ aſſimilat, quæ ita deſcribit *pag 66. ſect. I:* Caniculæ Ariſtotelis uterus, ſeu vulva bifida, in cujus medio ova colore & perſpicuitate cornu ſimilia, figura pulvinar, quo dormientium capita ſuffulciuntur, referentia, ad ſpinam adhærere ſolent: Ex cujus angulis dependent meatus longi & tenues (modo tamen hoc mereantur & quos ARISTOTELES meatus capillares vocat) cùm potius videantur eſſe ligamenta quædam & appendices, capreolorum vitis modô convolutæ, naturæ inſervientes ad retinendum & firmandum in uterô ovum, ut neque ſurſum, neque deorſum moveatur, quò ad ſtatutum tempus in lucem prodeat: non ſecus ac in uterô muliebri quorundam ligamentorum mediô fœtum ſuſtentari ex Anatome conſpicitur &c. Ex his ſimilitudo, quæ inter ova caniculæ piſcis & Rajæ intercedit, luculenter apparet: imprimis ſecundum ipſius Autoris deſcriptionem *ovorum Rajæ*, quam *pag. 91.* ita habet: Uterus Rajæ teſtacea ſubſtantia formatus, ſeu, ut alii, teſta ova concludens, quadratam quam exprimit figuram, demptis angulorum appendicibus, quæ unô latere longiores ſunt, ſimiles foliis gladioli herbæ, altero verò breviores latiores & replicatæ: ob quam formam illi ſupellectili haud diſſimilem, quô dormientium capita ſuffulciuntur, pulvinar à quibuſdam vocatur. Sed objicere quis poſſet Autorem hunc ſimul ac GESNERUM, RONDELETIUM, JONSTONIUM & alios uteros Rajarum deſcribere, non ova; aſt actum agerem, ſi hanc ſententiam refutare vellem, quam variis ſolidiſque argumentis jamdudum accuratiſſimus ille Ana-

Anatomicus NICOLAUS STENO, in *Epiſtola ad Celeberrimum Guilielmum Piſonem, de Rajæ Anatome* conſcriptâ confixit, ubi eandem tractationem ſequentibus abſolvit, inquiens: ſuffecerit id „demonſtraſſe, dictam teſtulam, ſi vel maximè Rajæ fuiſſet o„vum, uterum tamen minimè fuiſſe dicendam. Ipſe quoque STENO, qui hæc ova non incongruè, ratione figuræ, ſandapilis asſimilat, in eadem Epiſtola refert: Clarisſimum SIMONEM PAULI binas tales, viſcoſo humore, quaſi diffluentem tabe mytulorum ſubſtantiam referente, turgidas (quæ ejus ſunt verba) habuiſſe: Quæ iis, qui hæc ova vegetabile quoddam marinum eſſe ſibi perſuadent, dicta velim. Omnium autem accuratisſimè ova hæc deſcripſit quondam Vir in rebus hiſce & Verſatisſimus & Curioſisſimus, Illuſtris Dn. BRACKENHOFFERUS, Tredecimvir Reipublicæ Argentinenſis olim Spectatisſimus & Meritisſimus, qui in Deſcriptione Muſei ſui pretioſisſimi (quam utinam aliquando Typis concederent Hæredes Nobilisſimi, quibus ob MSS. illorum, XXX Alphabetorum numerum excedentium, communicationem benevolam, æternum ſum obſtrictus) ſequentia de illis literis mandavit: Ova piſcis Rajæ, *inquit*, quadrati formam habent, majoris longitudinis, quàm latitudinis, quarum illa digitum cum mediô, hæc verò duos æquant digitos: Plana ſunt & in mediô convexa, pulvinaris inſtar. Conſtant ex tunicâ quadam in parte ſuperiori æquè ac inferiori fibroſâ, quam alia membranula, eaque tenuis admodum, cingit. Color ex fuſco nigricat, in extremitate angulorum cornubus, digitum Geometricum cum dimidiô longitudine æquantibus, prodeuntibus, ejusdem & ſubſtantiæ & coloris cum ipſo pulvinari, non tamen ſimplici, ſed duplici (*vid. TAB. I. Fig. III. b.*) utut compreſſa, tunica gaudentibus. In pulvinaris parte anteriori nunquam non apertura quædam & foramen tenue conſpicitur (*TAB. I Fig. II. e. & III. a.*) unde prodit animal intus contentum &c. Quæ omnia de *muribus* noſtris intelligenda eſſe, inde conjicio, quòd non tantùm plebeji & nautæ hujus loci aſſeruerint

rint mihi, Rajas juniores in exuviis hisce latitare, atq; etiam interdum inveni, (quas, quia certo ſolummodò alicui tempore his carceribus Rajæ juniores incluſæ inveniuntur, jam nanciſci non licuit, aliâs ejus rei iconem hâc vice, unà cum cæteris communicaſſem, quod forſan aliâ occaſio permittet) haſque, illis ex unicâ, quâ gaudent aperturâ (*TAB. I. Fig. II. c.*) erumpentibus, ob levitatem ab aquâ marinâ ad littora propelli: Sed & ea, quæ Italus & reliqui citati Auctores, tum de appendicibus foliis gladioli ſimilibus, tum de figurâ quadratâ habet, cum *murium marinorum figura I. II. III. ejusdem TAB. I.* variis modis depictâ prorſus coincidant & concordent. Reſectis enim quatuor illis appendicibus gladioli foliis ſimilimis a. b. c. d. in *Fig. I. TAB I.* corpus quadratum remanet, pulvinari haud disſimile.

Uſum verò quod concernit, unanimi Plebejorum, loca hæc maritima, præſertim Selandiam, incolentium, teſtimonio, tanquam certisſimum & infallibile remedium ad curandas *hæmorrhoides cæcas* adhibentur, idque in forma ſuffimigii, quod plurimis in caſibus ſibi proſperè ſuccesſiſſe, Doctor quidam Medicus mihi retulit. Nec ratio hîc deeſt, quæ idem ſuadere posſit; ſiquidem præter ſal volatile alcalinum, ſupra allegatum, ſulphure quoque narcoticò mures hoscc imprægnatos eſſe, vel exinde probabile videtur, quòd Rajæ, quarum ſecundinæ quaſi ſunt, inſignem affinitatem habeant cum Torpedine, naturali, ut AETIUS loquitur, facultate ſtuporem inducente & dolores ex corpore tollente, cumprimis in partibus inflammatis. Unde & HIPPOCRATES noſter *Lib. de intern. affect.* in quodam morbò hepaticò, pleuritidi non abſimili, torpedinem, paſtinacam & Rajas ſimul præſcribit, tanquam iisdem vel ſimilibus viribus prædita animalia. Quas quoque RONDELETIUS in pruritu hepatis commendat.

Equidem in omni dolore hæmorrhoidali inflammationem quandam concurrere quatuor ejus Comites indivulſi: Tumor, Rubor, Calor, Dolor & hic quoque conſpicui, ad oculum teſtantur.

tur. In omni pariter dolore aliquid convulſivi obſervari, jam ante IV. & quod excurrit, luſtra ex profeſsô, quod dicitur, in Tuâ, VIR MAGNIFICE, *Diſputatione Inaugurali de Convulſionibus* ſolidè demonſtraſti. Utrique verò obicem figere & ſtrenuè obviam ire valent *mures marini*, priori quidem, in quantum ſale volatili copiosô ſanguinem, inter fibras inteſtini recti interceptum & inflammationem producentem, diſcutere eumque de novô iterum in motum agere valent: poſteriori, quia particulis ſulphureo-anodynis ſtricturam fibrarum ſpasmodicam demulcent & ſpiritus irritatos complacare ſolent.

Neque enim aliâ ratione agunt reliqua, in morbô hôc aliâs mage cognita, ſpecifica, quæ ſi purgantia vaſaque hæmorrhoidalia irritando aperientia, cum hirudinum & V. S. applicatione excipias, vel diſcutiendo, vel demulcendo agunt. Nam ſcarabæos ſtercoreos atque aſellos ſeu millepedes eodem modô agere, quis dubitat? quos priores in cineres aut oleum redactos tantoperè commendat BEIRLINGIUS in *Adverſar. Curioſ. Cent. 1. pag. 49.* ut & SOLENANDER *Lib. 4. Conſ. 20.* FONSECA verò *Lib. 1. Conſ. 27.* & BORELLUS *C. 1. Obſ. 63.* de uſu millep. poſteriorum vim tam anodynam, quàm diſcuſſivam laudibus extollunt variis; hinc Aſellorum oleum Urſulæ Carteſiæ, Principiſſæ Italiæ Patavinæ, teſtante ETTMULLERO, in ſecretis fuit. Imò ipſa Linaria, quàm tanti olim Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius, LUDOVICUS glorioſiſſimæ memoriæ, ab Archiatro ſuo D. VVOLFFIO redemiſſe refert GREG. HORSTIUS in *Obſerv. Lib. IV. obſerv. 42.* partim diſſolvente, partim demulcente & anodynâ virtute morbum huncce tollit, quæ utraque neque *verbaſco*, neque *ſcrophulariæ*, neque *momordicæ* aliisque conſimilibus polychreſtis deneganda eſt. Quemadmodum omnia omninò opiata & theriacalia quoque ſimili hic ratione agunt. Et quid aliud præſtaret ſudor morientium linteoló exceptus & ipſis hæmorrhoidibus applicatus? quem tantoperè dilaudat GREMBSIUS in *Arb. hominis integr. & ruinoſ.*

L. 2. C. 1. §. 74. licet & hic Archeo ſigillo mortis terrorem incutere & à ſpasmodicô illô furore abſtrahere valeat.

Aſt quò dilabuntur mures mei, qui niſi ſponte ſe in antra recipiant, muſcipulâ refrænandi erunt, ne nimiô discurſu Tibi, VIR MAGNIFICE, plus juſto ſiant moleſti, cùm & elephantes, ſi vera eſt fabula, mus terrere valeat. Interim ut, quod rodant, habeant, novum & hîc locorum maximè quoque decantatum remedii genus addo, *Folia* ſcil. *Acmellæ* Fig. IV. (TAB. I.) depicta, quorum admirandus in Nephritide, Iſchuriâ aliisque renum & veſicæ affectibus effectus eſt. Adferuntur autem ex India Orientali, ſpeciatim ex Inſulâ Ceylon, ubi Magnates eôdem illa modô aquæ calidæ infundunt, ut herbam Theé. Non enim figuram modumque uſurpandi ſi ſpectes, à Theé ordinariô: ſi uſum & effectum conſideres, à Theé Boeye ſeu medicamentoſo (de quô forſan alio tempore plura) multum abludunt. Potum verò ex Acmellæ infuſione paratum dicti Ceylanici Purpurati prô ſingulari anti-nephritico habent, ita ut illi, qui per complures annos Iſchuria aut Dyſuriâ laborarunt, citò citius eâ mediante, absque recidivâ inſequente, curati fuerint, ut Clarisſimus Dn. THEODORUS HOLA, Domini DECKERI (ex cujus ſingulari munificentiâ hæc folia poſſideo) Diſcipulus non degener, in *Diſſert. Inaug. de Nephritide* fuſius nuper oſtendit. Paratur quoque ex iisdem foliis ſpiritus abſtractitius, cùm liquore Arack, his quoque in affectibus incomparabilis, qui doſ. gutt. xij. ad xx. urinam altisſimè reconditam ſtimulare ſolet, ut propriô id exemplô conteſtari poſſum. Primâ, quam nactus fuero, occaſione folia hæc, unà cum fabis S. Ignatii *Fig. V. 1. 2. 3. 4.* (TAB. I.) delineatis, variisque concharum ſpeciebus, *Magnificentiæ Tuæ* transmiſſurus ſum.

Cæterùm cùm nuperrimè Celeberrimum Dn. DECKERUM honoris ergò viſitarem, ſuum mihi lapidem porcinum, vulgò *pedra porca* (quô frequenter & utplurimùm feliciter in Praxi utitur) oſtendebat, quem in quavis infuſione aliquid, gr. ß. ad gr. j. ſcil.

de

de pondere amittere aſſeverabat, eumque in liquore, æſtatis tempore vel in locô calido per quadrantem horæ, hyemis verò tempore per dimidiam relinquit. Addebat eundem tantùm in Hyſtricibus ægrotantibus reperiri, & lapides bezoardici inſtar è plurimis lamellis, ſibi invicem impoſitis conſtare; neque in febribus intermittentibus tantùm (in quibus à Magnatibus pro certisſimô remediô haberi petique ſolet) ſed in febribus petechialibus maximarum eſſe virium, in quibus petechias retrocedere faciat, cum euphoriâ. Aliâs ſaporem quod attinet, non multum abludit, quantum lambendo percipere potui, ab illo magno lapide, quem ex veſicâ bilariâ bovis posſideo, *Tua* quoque *Magnificentia* ſæpius vidit.

Dixi in Academia Veſtra, Tuo ſub præſidio, peculiarem de eô diſputationem habitam fuiſſe, quam impatienti animô expectat. Tribus ſolummodò verbis adhuc obſervationem curioſam circa radicis ipecacuanhæ *Fig. VI.* (TAB. I.) depictæ effectum, coronidis locô addere liceat: Nimirum ſi hæc, in dyſenteria adhibita, poſt ſecundam vel tertiam doſin nauſeam (præcipuè carnis) excitet, certisſimum & pathognomicum ſignum eſt reconvaleſcentiæ.

Aſt noli ſuccenſere, *Vir Magnifice*, quòd his æquè ac ſupra allatis *muribus anti-hæmorrhoidalibus* Tibi, inter tot Rectoralium laborum ſtrepitus, moleſtus ſim, quos non eum in finem *Magnifico Tuo Nomini* dicatos volui, ut vel cum Archiatrô Hasſiaco ſupradictô annuatim taurum lucrari, aut podices (ſ. h.) Iſraelitarum aureos inde colligerem: Sed ut TIBI meam, cujus & in exteris nunquam obliviſcar, obſervantiam perennantem conteſtarer & curioſitati Tuæ, ut ſub valedictione meâ jubebas, ſatisfacerem; quamvis omninò verear, ne illi, qui ſoricum inſtar aliorum ſive conatus ſive labores rodunt & arrodunt, hoc tandem judicium de ſcriptione meâ ferant:

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus!

Nn 2 Equi-

Equidem non diffiteor plura adhuc, notatu fortè non indigna, circa materiam hanc adduci potuiſſe; verùm cùm eum in finem potisſimùm huc acceſſerim, ut ſub Anatomici & Operatoris celeberrimi, DN. D. RAUI, Viri in hoc ſtudiorum genere, ſi & ſecandi & docendi methodum ſpectes, incomparabilis, manuductione enchireſibus Anatomicis & Chirurgicis (quibus jam totus ſum immerſus) vacare liceret, adeòque occaſioni æquè ac tempori ſerviendum ſit, haud ægrè feres, ſi filum epiſtolæ jam abrumpam, reliqua alibi, ſi DEO placuerit, additurus. Vale, *Patrone Venerande*, & quod facis, gratioſè recordare

Dab. è Muſeo *Amſtelodami, Idibus Martii* A. MDCC.

Servi Tui officioſisſimi

SPENERI.

APPENDIX IV.
RESPONSORIÆ
AD PRÆCEDENTES.

VIR NOBILISSIME!

DOctrinæ ſpiritum non curioſitatem acuere, ſed charitatem accend re BERNHARDUS in *Commentar. ſuper Cantic.* exiſtimat. Aſt utrumque ſalvâ tanti Patris authoritate hinc pullulare poſſe, Tuo, VIR CELEBERRIME, exemplô comprobare liceat. Ab eô enim, quo ab ore meô

meô dependebas, tempore doctrinæ ſpiritum indicibilem, quâ in rerum Phyſico-Medicarum notitiam ferebaris, curioſitatem in Te acuiſſe, inſignis, quam paucorum etiam annorum intervallô collegiſti, rerum naturalium ſupellex & farrago docet, quæ, ſi indies, ut nullus dubito, augmenta ceperit, haud difficulter B. DN. Fratris, Prof. quondam Halenſis Celeberrimi Muſeum inſtructiſſimum æquare poterit; charitatem verò hinc ſimul in Te accenſam eſſe, humaniſſima, quam in Exteris tenuitati meæ inſcripſiſti, Diſſertatio Epiſtolica teſtatur, quâ Tuum in me amorem, domi mihi toties probatum, monumento quodam publicô demum obſignare voluiſti, quo vel eam ob cauſam nihil mihi gratius obtingere potuiſſet, quòd bonum publicum proximique commodum, poſt Dei Trinunius gloriam, unicè ſemper reſpiciendum, non contemnendas acceſſiones inde ſibi promittere poſſit, cùm & hæmorrhoidibus furentibus & doloribus nephriticis aliisque morborum generibus nova eaque certa remedia heîc inventa & parata ſint. Ita ſcilicet non ſterilem, aut ad animi recreationem tantùm compoſitam curioſitatem ſectaris, ſed utilem & fœcundam, quâ & proximi, ſub morborum cruciatibus gementis, curam habes, *DN. Patris Venerandi* ſic veſtigia premens, qui ut de ſalute animarum nunquam non ſollicitus eſt, ita corporis ſalutem & ſanitatem, præſervando æquè ac medendo, curæ Tibi cordique eſſe jubes.

De cæterô neſcio quô omine *muribus* Tuis *marinis* pabulum aliquod è fabis S. Ignatii, quarum deſcriptionem meditor, promittas, quô, nî fallor, ſcriptioni meæ, arroſas ungues minus ſapienti, aut murium, aut Criticorum morſus tacitè minaris. Aſt eadem, quæ Tibi animum ad ſcribendum addidit, ratio me pariter ſecurum reddit, quùm publico ſerviendi cupido rigidas aliorum ſtricturas adeò non expaveſcat, ut potius audacior ſemper contranitendo eat. Stabo igitur promiſſis, & ſicut pro transmiſſione & benevolâ fabarum illarum procuratione Tibi multum ſum obſtrictus, ita brevem illarum deſcriptionem & anatomiam

hâc vice redhoſtimenti loco offero, cui quod Figuras tuas æneas (utut paulò minori formâ recuſas) pro majori illuſtratione adjecerim, in meliorem, ut ſpero, partem interpretaberis.

Aliâs in ætiologiâ illâ, quâ murium marinorum, ſeu ovorum Rajæ piſcis in curandis hæmorrhoidibus furentibus efficaciam eleganter explicaſti, adeò nihil deſiderandum puto, ut potius ambabus, quod ajunt, manibus illi ſubſcribendum exiſtimem. Interim ut de ſalis volatilis & particularum oleoſarum (quibus effectum illorum tribuis) præſentiâ eò certiores ſimus, operæ pretium quis mereretur, ſi analyſi Chymicæ tunicas illas & exuvias committeret, quò ea, quæ uſus comprobat, à priori quodammodò deducere valeamus. Neque dubito è lapide porcinô, vulgò *pedra del porco*, cujus ſimul in literis Tuis meminiſti, inſignem ſalis volatilis quantitatem obtineri poſſe, ſi ſublimationem ejus admitteret nimium, quô venit, pretium. Curioſum ſanè eſt, quòd microſcopió ejus præſentiam in lapidis infuſione ſpectaverit ANTONIUS A LEWENHOEK, qui in *Arcanis Naturæ detectis pag. 115.* lapidem per horam dimidiam ſe aquæ infudiſſe refert, quâ, poſtquam amarum ſaporem aſſumſerat, ſanguini, ex digito profluenti, permixta, vidit quosdam ſanguinis globulos rubrum (qualem ſalia volatilia oleoſis addita præ ſe ferunt) colorem retin re eosque adeò liquidos & pellucidos eſſe factos, ac ſi ſinguli globuli ex materiâ vitreâ fuiſſent formati. Abhinc aquam illam amaram in Muſeo aëri expoſuit, ut liquor aqueus exhalaret & particulas ſalinas illîc coagulatas varia germina, herbas, arbores, flores ac ſtellas efformaſſe, microſcopio ſuo obſervavit indeque concluſit lapidem Pedra del porco ut plurimùm ex Sale volatili conſtare, paucis ſimul ſalis fixi particulis obſervatis.

Quid vero de novo Ambſtelodamenſium Collegiô, *Hiſtoriam Literariam Univerſalem* meditante, agitur? ad quod Ludovicianæ noſtræ Proceres nuper invitavit Clar. PETZOLDUS. An hiſtoria ejus jam primordia cœpit? Transmiſi illi recenſiones librorum, à DN. D. MAJO, Prof. Theologo noſtr. Lycei, editorum:

rum : quibus propediem *Pandectas* meas *Medico Legales* addam, quæ abſolutis nunc *Polychreſtis Exoticis* indies ſub prelô ſudabunt, ut futuris nundinis Paſchalibus certò lucem videant. Hâc vice totus experimentis Phyſicis, in Collegio Curiosô proponendis, ſum immerſus, ſtudió eò magis excitato, quo præter egregium Spectatorum numerum & Illuſtriſſimi Comites, hîc locorum degentes, idem frequentare non dedignantur. Quodſi vel Cl. SENGUERDIUS, vel Celeb. VOLDERUS novas quasdam machinas invenerint, earum ut curante Muſchenbrœckiô me participem reddas, eſt quod amicè rogito. Vale interim & quod facis, amando me antiquum obtine, qui nunquam non permanebo

Tuus ex animo totus

D. Giſſæ Haſſorum
Calendis Maji,
M D CC.

VALENTIN.

INDEX

INDEX RERUM & VERBORUM.

A.

AC mellæ folia 281
figura & uſus ibid.
Acidulæ an conducant? 145
Ægagropilæ 35
Alvi fluxus remedium 22
Amphibiorum natatio 159
Ananas fructus 198
Anatomiæ comparatæ laus 328
Anima brutorum quid? 159
Anorexiæ remedium 10
Anthelmintica 54
Anxietates cordis qui curandæ? 39
Apepſiæ cura 10
Apoplex. præſervantia 37
cura 105
Aphttarum remedium 39
Ariſtotelis aſtutia 117
converſio 128
palinodia ibid.

B.

BEzoardici lap. textura 37
Bezoar cervinum 37
equinum ibid.
mulinum ibid.
Bracherium ad hernias 89
Βρύον in arboribus quid? 332
Bubonocele 79

C.

CAlcul. ren. & veſic. anatom. 28
ſolventia 37
veſ. felleæ probatio ibid.
in mul. Offenb. ibid.
Canes ut artes addiſcant? 134
verua moventes 125
Cardialgiæ cura 10
Catarrhorum cauſa 11
cura ibid.
Centaur. minus ſucced. fab. S. Ign. 13
abortum movet ibid.
Ceræ materia 334
China Chinæ unde denominetur? 50
non eſt radix 51
electio 53
ſpuria 53
vera ibid.
uſus in febb. interm. 59
an & in contin. ibid.

utendi

utendi modus intern. 65
extern. 67
Choleræ cura 37
Chloroſis 213
Cicutæ ſymptoma 216
Cirſocele non eſt hernia 76
Clyſteres ſimpliciſſimi optimi 71
alterantes carmin. ibid.
anodyni ibid.
Græffii ibid.
Tabacinus in fig. 71
uſus ibid.
Coffi fructus an ad fabas referendus? 5
Colicæ remedium 10
Colores apparentes 225
veri ibid.
Conchites lapis 175
Conſuetudo altera natura 133
efficacia 130
in Diætâ obſ. 137
— morbis 139
neglecta nocet 125
Contagii peſtilentialis actio 216
Corpul. nimiæ remedium 37
Corticis Peruv. arbor 52
lumbricos necat 54
ſuccedaneum 66

D.

DExtra cur agilior quàm ſiniſtra? 136
Diarrhœa in hydrop. periculoſa 144
Dolorum ♀ noct. cura 111
Domeſtica remedia an ſufficiant? Præf.
Dyſenteriæ cura interna 22
externa 72

E.

ENterocele 79
Ephemeridum curioſ. Scriptores 205
Epilepſiam præſerv. 37
curantia 149. 332
per conſenſum 11
infant. verminoſa 72
Equi noctambuli 136
Errores Naturæ unde? 168
Exotica an rejicienda? Præf.

F.

FAbæ unde denominentur? 3
D. Thomæ purg. 8
S. Ignatii quid? 6
unde dicantur? ibid.
Tinct. ſeu Eſſ. 9
uſus 10
ſuccedan. 13
Faculæ ferales 153
Faſcia pro Herniis 89
Febrium differentia in Tab. 56
cura 105
intermittent. cura per ipecac. 21
per Chin. Chin. 59
per Clyſt. 67

Febr. Contin. cura 11
quotid. 40.59
Tertiana ibid.
maligna 11
petechialis 40.39
puerperarum 40
Virginum alba 213
Febriū periodi unde? vid. Period.
Flores quid propriè in plantis? 227
Fluiditas metallorum unde? 120
Fluores ut à gemmis differant? 120
Fluxus mulierum albus unde? 208
Curatur 72
Fœtus formatio 179
Fontium generatio 180
Fontes Lapidifici 168
Soterii 149
Griesheimenſis ib.
Formæ Subſtantialis tumulatio 158
Frigus an mera privatio? 213
Furor Uterinus 212

G.

GAnnanaperide 52
Gentiana ſuccedan. Chinæ Chinæ 67
Germinatio plantarum unde? 121
Glandulæ vaginæ uteri 207
Gloſſopetræ quid? 168

H.

HÆmorrhag. ext. remed. 13
narium 217
uteri ibid.
Hæmorrhoidum cæc. novum remed. 279
Herba ſenſitiva 122
Hermaphroditicæ herbæ 248
Hernia quid? 76
quotuplex? 77
Cura per Sect. 96
arcan. Reg. 91
Herniæ flatulentæ cura 72
Herniotomia 97
Hippolithi ubi generentur? 37
Hiſtrix non eſt avis 32
in Fig. ænea 33
Spinæ ibid.
Honores Acad. Graduales 222
Profeſſorii ibid.

I.

ICteri calculoſi cura 37
Ideæ quid? 122.148
Idololatriæ origo 117
Ilei remedium 10
Inflat. abdom. in infant. cur. 72
Inſtinctus Naturæ in anim. 124. 156
an & in homine? 161
Inſomnia ♀rea unde? 111
Ipecacuanhæ Inventor 17
alba 20
flava ibid.

Ipecac.

Ipecac. nigra ibid.
ſignum operat. 281
uſus legitimus 22
Iſis quale idolum? 116
Juli arborum quid? 332
Juniperi differentia quoad ſexum 336

L.

Lachrymarum vitrearum textura 123
Lapis Bechinenſis 153
Bezoar ubi generetur? 28
Manati unde? 28
Porcinus vid. *Pedra del Porco*
Lethargi remedium 105
Liquor Genit. Mulierum 209
Lithontriptica nova 198
Lues ♀ unde & qualis? 215
cura 100
Luſus Naturæ quid? 168

M.

Maniacorum actiones automaticæ 163
curatio 149
Materiæ Medicæ Scriptores Præf.
Medicus ſui ipſius ex inſtinctu? 125
an detur talis? 163
Mellis materia 334
Mercurialis mas 235
fœmina ibid.
Mercurius dulcis 102
reſuſcit. 101
ſublimatus 101
vulgi hoſtis inſect. Præf.
Meretricii libri 210
Meteorum ſubterran. nov. 152
Microſcopiorum Scriptores 182
Monſtrorum origo 181
Morbi ex conſuet. redeuntes 139
Chronici quando deſperati 144
mulierum 212
Morbillorum curatio 39
Morſus animalium qui curandi? 12
Moxa an Vet. cognita? 199
Germanica 200
Indorum quid! 200
applicatio 201
uſus ibid.
Mures marini quid? 275
in figura ibid.
Muſeorum Curioſ. Scriptores ibid.

N.

Natatio piſcium unde? 160
Naturæ vox retinenda? 117
eſſentia 119
Medica quid ſibi velit? 145
Nephritidis remed. novum 72

Noctambul. actiones unde? 136
Nodi ♀ cura 111

O.

OCuli porcellorum moſchiferi 31
Odontalgiæ remed. 111
Omphalocele quid? 79
Ovum Cometicum 182
Raiæ piſcis in Fig. 277
uſus 279

P.

PAn quid Veteribus notet? 116
Panacea ☿ 100
Paralyſis quid 145
poſt Colicam ibid.
Paſſion. hyſt. cauſa 213
cura & remed. 72. 332
Pectorales morbi 279
Pedra del porco quid? 32
anatomia 286
duplex 35
an emmenagoga? 37
in ægris hiſtric. reperitur
Periodi febriles unde? 148
Peſtis remedium 12
Petala in plantis quid? 226
Philoſ. Nat. cur hactenus ſterilis? 116
Philtrorum actio 134
Phreneticorum actiones 163
Picæ remedium 10
Plantula ſeminalis 121
Plethora ad vires quid ſit? 139
Plenitudo florum ut comparetur? 340. ſeqq.
Podagra quotuplex 201
curatur ibid.
Pollutio nocturna 212
Porcelli cur lactendo-ubera moveant? 161
glandula moſchata 31
Prolapſus uteri 93. 213
Pulſuum doctrina Sinenſium 198
Pulvinar Rondeletii 479
Punctum aureum Chir. 93
Puſtul. ♀ curatio 109

R.

RAnarum impetus ♀ 160
Romani an Medicos ejecerint? 164

S.

SAlivationis methodus 100
Sarcocele non eſt hernia 76
Semen Santonici 54
Sexus plantarum an detur? 226
Similitudo liber. cum Parentibus 170
Sinenſes pulſuum gnariſſimi 198

Speci-

Specifica an dentur? 15
Spiritus ⊖ rectif. 92
Sus lanifera 31

T.

TEmpo Athletarum quid? 153
Teneſmi curatio 72
Thée commune 281
Boeye medicamentoſum ibid.
Todtenlichtlein *quid?* 153
de Tribus mundi Impoſt. liber 210
Tympanit. curatio 72
Turcici frumenti vegetatio 235

V.

VAriolarum remed. 39
Venenorum aſſumtorum cura 12
Vernacula ut ab infantibus addiſcatur? 136
an ex inſtinctu Naturæ? 165
Vertiginis curatio 11
Verulamii laus 116
Virtus plaſtica in veget. quid & unde? 122
Vitæ Ruſticæ Scriptores 184
Umbilicus marinus 170
Unicornu foſſile 168
Vomitoria in Dyſent. proficua 28
Urethræ inſertio in mulieribus 207
Urſi ut ſaltationes addiſcant? 135
Uteri prolapſus 213

X.

XEranthemon 240
plen. in ſimpl. degenerans 244

Z.

ZEphyrus an impregnet equas? 255
an plantas? ibid.

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag.	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
2	17	easdem	idem
5	14	ſolent	ſolet
6	3	ſpirarum	piperis
41	5	maritum	mariti
48	25	Pharmacopæi	Pharmacopœi
66	13	omne	omnes
70	14	febri	febris
72	penult.	foliæ	folia
74	ult.	cunctatas	cunctatus
85	12	lineamenta	linamenta
105	6	fine ſine	ſine fine
11	4	ingraveſcentum	ingraveſcentes
121	12	metallicis	metallici
128	16	plurimus	plurimos
132	11	proficiſcitur	proficiſcatur
137	2	automatis	automati
194	22	disſimilia	ſimilia
2 9	30	vaſis	vaſibus
2'5	29	æger	ægro
218	9	gonorrholes	gonorrhoeis
222	23	arriſerit	non arriſerit.

#25663